



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Disputatio XXI. De subjecto peccatorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

quippe, quod est virtuosus, adhibet majorem diligentiam ad illa evitanda quam alius. Ratio secundi est, *primò* ab opposito, quod homo virtuosus propter majora auxilia & media facilius possit evitare peccata, ideoque illa committendo sit negligentior. *Secundò*: quia quanto quis majora accepit beneficia, tanto magis est ingra-

rus deliberatè offendendo suum benefactorum. *Tertiò*: quia ex peccato hominis virtuosus, vel in aliquo majori gradu constituti plures scandalorum occasionem accipiunt. *Quartò*, quia multa sunt peccata, quæ altiori vel sanctiori statui specialiter repugnant, sicut injustitia statui Principis, fornicatio statui Religiosi, vel Sacerdotis, &c.

DISPUTATIO XXI.

DE

Subiecto peccatorum.

Non est sermo de remoto subiecto, quod haud dubiè est creatura rationalis, sed de proximo, sive potentiis animæ. Neque loquimur de peccato in esse actus physici spectato, quo sensu rursus certum est, peccatum in potentiis, imò & membris externis subiectari posse? quis enim dubitet, impudicum aspectum femine hoc modo consideratum in oculo, illicitam deambulationem in locomotivâ & membris exterioribus residere? Quæritur ergo cum S. D. hîc q. 24. utrùm peccatum moraliter spectatum, partim secundum rationem voluntarii, partim secundum formalem rationem malitiæ, & deformitatis, subiectetur in potentiis à voluntate distinctis, nempe ratione, [scilicet superiori vel inferiori] appetitu sensitivo, &c. & quia non minus utilior, quam potior questio hoc loco moveretur de morosa delectatione & consensu in actum, eidem paulò operosius immorabimur.

ARTICULUS I.

An præter voluntatem detur aliud subiectum formalis peccati?

SUMMARIUM.

1. Quoad rationem voluntarii omne peccatum est in voluntate.
2. Membra & sensus externi non sunt subiectum peccati formalis.
3. Voluntas est subiectum peccatorum etiam quoad rationem malitiæ.
4. Peccatum formaliter subiectatur etiam in ratione, & appetitu sensitivo.
5. Probat ex habitibus.
6. Objectiones.
7. Solvuntur.

§. I.

Subiectum peccati etiam est intellectus & appetitus sensitivus.

1. **C**ertum est primò, quod omne peccatum quoad rationem voluntarii intrinsecè subiectetur in voluntate. Cujus ratio est: Omne peccatum in tantum est voluntarium, in quantum elicitive vel imperitive, directe, vel indirectè est à voluntate: si elicitive, tunc est ipsemet actus voluntatis; si imperitive, tunc saltem dependet ab actu pratico imperii, in quo actus voluntatis includitur. Item si directe est à voluntate, tunc est propter actum voluntatis formaliter, aut virtualiter influentem; si indirectè, tunc etiam vel propter aliquem actum voluntatis, qui est causa vel occasio omittendi, vel certè propter liberam cessationem, & dormitionem voluntatis, hîc & nunc omittentis actum, quem posset & deberet

ponere; sed omnibus istis modis voluntarium intrinsecè est in voluntate.

Nec refert, quòd S. D. q. 15, de ver. a. 3, ad 1, dicat: *Peccatum dicitur esse in voluntate non sicut in subiecto, sed sicut in causa.* Nam Resp. mentem S. Doctoris esse, quod non omne peccatum sit in voluntate secundum rationem deformitatis & malitiæ, bene autem secundum rationem voluntarii; nam hoc ipso, quod omne peccatum sit in voluntate tanquam causa, etiam est in ipso subiective, quatenus id, ratione cujus causatur & pendet à voluntate, est intrinsecè in voluntate.

Certum est secundò. Membra, vel potentias sensitivas externas non esse subiectum peccati formaliter sumpti; nam ubi nulla reperitur, quod imperfecta & participata indifferentia aut libertas, ibi peccatum formaliter non subiectatur; sed in membris & sensibus nulla est ipsa libertas vel indifferentia reperitur; membra quippe tantum sunt organa & instrumenta operandi, serviliter subiecta despotico rationis imperio; unde nec sunt alicujus habitus virtuosus vel vitiosus capacia. Idem dixeris de potentia & loco-motiva, quæ sunt determinatæ ad unum suosque actus ex necessitate producant.

Certum est tertio. Peccata etiam quoad rationem malitiæ formalis & moralis in voluntate subiectari: quia cum voluntati per se primo competat formalis ratio liberi & voluntarii, usque sit proprium versari circa finem, & quidem ultimum, propterea ratio libera deordinatur à desin-

à debito fine, quæ est formalis malitia peccati, maxime in actibus voluntatis, ad eoque peccata quoad malitiam moralem subiectivè in voluntate reperiuntur.

CONCLUSIO. Peccatum quoad variationem malitiæ etiam quandoque in ratione & appetitu sensitivo subiectatur S. D. a. 2.

Probatum primò. In iis potentiis peccatum formaliter reperitur, quarum actus ex propria ratione potentia possunt esse inordinati; sed actus intellectus & appetitus sensitivi seu sensualitatis possunt esse inordinati ex propria ratione potentia intellectiva & appetitiva: ergo. Major inde patet, quia cum peccata intellectus & sensualitatis sint actus immanentes, si ratio deordinationis potest adscribi principio à quo vitaliter procedunt, non erit major ratio, cur non sint æquæ in suis potentiis, quantum ad rationem deordinationis, quam quantum ad rationem physicæ entitatis. Minor verò probatur. Erroneum dicitur intellectus, vi cuius voluntas deficit à fine ultimo, & lege æternâ, est actus inordinatus ex propria ratione intellectus, quia voluntatem dirigere & esse radicaliter indifferentem, est proprium intellectus ex propria linea & ratione: sed iste actus est inordinatus secundum rationem proximam directionis radicaliter indifferentis: ergo est inordinatus ex propria ratione intellectus.

Rursus: Turbare iudicium rationis, eiusque imperio oblectari, habetur ex propria ratione appetitus sensitivi, qui freno iustitiæ originalis destitutus inclinatur in objectum delectabile, etiam non obstante contradictione rationis: sed hæc est quedam inordinatio, quæ reperitur in actu & motu sensualitatis: ergo etiam in actu appetitus sensitivi reperitur inordinatio proveniens ex ratione principii.

Probatum secundò. In quo subiecto sunt habitus vitiosi, in eodem sunt actus vitiosi secundum formalem suam malitiam & deformitatem: sed in intellectu & appetitu sensitivo reperiuntur habitus vitiosi; in illo quidem habitus infidelitatis, hæresis, erroris, imprudentiæ, &c. in isto intemperantiæ, iræ &c. Unde etiam in iisdem potentiis reperiuntur virtutes oppositæ, nempe in intellectu fides, scientia, prudentia: in appetitu sensitivo temperantia, mansuetudo, &c. ergo in istis potentiis subiectantur peccata etiam secundum formalem rationem malitiæ. Major probatur: tum quia non minus habitus sunt moraliter vitiosi, quam actus; unde si habitus secundum moralem vitiositatem sunt in istis subiectis, etiam actus erunt: tum quia habitus vitiosus contrahitur per actus quatenus vitiosos, & expellitur per actus contrarios, ut virtuosos: tum quia habitus vitiosus similes actus vitiosos producit, & per ipsos intenditur.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Objicies primò. Si malitia moralis intrinsecè reperitur in potentiis à voluntate distinctis, sequitur, eandem numero malitiam reperiri

in pluribus subiectis; sed hoc est contra doctrinam S. D. in qua idem numero accidens non potest simul esse in pluribus subiectis. Sequela probatur: In peccato v. g. morosæ delectationis peccati malitia simul esset in appetitu sensitivo, in quo oritur delectatio; secundò in voluntate, quæ consentit; tertio in ratione, quæ illis motibus non contradicit.

Secundò. Quæ per analogiam ad aliud denominantur, extrinsecè denominantur: sed actus potentiarum à voluntate distinctarum denominantur peccaminosi per analogiam & ordinem ad actum voluntatis, ideoque secundum doctrinam S. D. actus externi non superaddunt distinctam malitiam ad malitiam actus interioris in voluntate: ergo.

Tertio. Membra externa non sunt subiectum malitiæ formalis, quia carent libertate: ergo neque potentia interna à voluntate distincta possunt esse subiectum malitiæ formalis, cum similiter careant indifferentiâ & libertate.

Respond. ad 1. negando minorem, quia S. Doct. doctrina tantum negat physicam subjectionem ejusdem accidentis physici in pluribus subiectis, non verò moralem, & accidentis moralis præsertim privativi, ut est malitia moralis. Nam accidens morale non necessariò accipit suam individualement unitatem à subiecto; sed eandem potest habere à subordinatione variarum potentiarum vel objectorum.

Ad 2. Respond. Majorem tantum esse veram de analogis attributionis, non autem proportionalitatis, in quibus omnia analogata intrinsecè genus analogum participant, quemadmodum substantia & accidens participant rationem entis: atqui actus intellectus & voluntatis ita dependent à voluntate denominantur peccata, ut ratio peccati ipsis conveniat secundum analogiam proportionalitatis; non tantum attributionis.

Ad probationem è S. D. & ad 3. Respond. Inter sensus & membra externa [de quorum actibus loquitur S. D.] & ex altera parte intellectum ac appetitum sensitivum hanc esse disparitatem, quod in intellectu detur indifferentia radicalis, & tam in ratione quam appetitu sensitivo quedam saltem participata & imperfecta indifferentia, propter conjunctionem ad rationem: unde etiam appetitus inferior [inquit S. D.] est natus obedire rationi, & non semper ita immobiliter adheret suo objecto, ut non ab illo ex imperio rationis quandoque dimoveri se patiatur: quæ causa est, quod tam in intellectu, quam appetitu sensitivo dentur habitus, quibus facilitatur ad suas operationes producendas. Atqui sensus & membra externa ne quidem habent aliquam imperfectam & participatam indifferentiam, suntque subiecta despotico rationis imperio, membra quoque corporis sunt instrumenta & organa ad liberum voluntatis usum ordinata: ideoque nec habitum sunt capacia.



Dd

ARTI.

ARTICULUS II.

An motus concupiscentiæ sint culpabiles independentes à voluntatis influxu?

SUMMARI A.

1. Aperitur status questionis.
2. Quid veniat nomine sensualitatis?
3. Triplex diversitas in motibus concupiscentiæ.
4. Motus prævenientes rationem non esse mortale peccatum definitum in Trident.
5. Probatnr autoritate S. Script. & SS. PP.
6. Ratio à priori.
7. Ratio ab absurdis.
8. Autoritates objecta
9. Exponuntur.
10. Opposita rationes
11. Solvuntur.
12. Motus concupiscentiæ independentes à voluntatis influxu non sunt venialia.
13. Probatnr ratione & autoritate D. Th.
14. Ratio ulterior à libertate contrarietatis.
15. Responsio Adversar. impugnatur.
16. Replica depellitur.
17. Autoritas D. Th. objecta exponitur.
18. Argumenta à ratione
19. Retorquentur:
20. Et solvuntur.
21. In quo consistat imperfecta libertas appetitibus sensitivis.
22. Sensualitas tantum potest esse subjectum peccati venialis.
23. Cur non etiam mortalis peccati?

§. I.

Præsupposita.

1. Cùm ex præcedenti articulo constat, etiam appetitum sensitivum esse subjectum peccati secundum malitiam, quaeritur, utrum in hoc appetitu possit esse peccatum, & an per motum appetitus sensitivi homo peccare possit vel mortaliter, vel venialiter absque actuali vel virtuali voluntatis influxu? Ubi primò hæreticorum nostri temporis error est, quòd motus concupiscentiæ, quos etiam inviti patimur; imò ipse fomes, seu concupiscentia habitualis etiam in baptizatis sint peccata mortalia. Secundò Cajetani, & Gonetii opinio est, motus concupiscentiæ ut prævenientes omnem actualem voluntatis motionem saltem esse peccata venialia, dummodo accedat aliqua advertentia rationis. Pro responsione
2. Notandum est primò. Appetitum sensitivum, quem hîc a 3. etiam sensualitatem S. D. appellat, esse vim appetitivam naturæ sensitivæ. Unde nomine sensualitatis & concupiscentiæ non tantum intelliguntur motus libidinosi carnis, sed alii quoque motus iræ, timoris, qui ab appetitu sive concupiscibili, sive irascibili trahunt originem.
3. Notandum secundò. Istos concupiscentiæ motus esse in triplici differentia: nam aliqui dicuntur primò primi, qui omnem præveniant advertentiam rationis, ideoque vitari non possunt. Alii dicuntur secundò primi, quorum quidem

inordinationem ratio aliquid adverteat, ideoque simpliciter potest contradicere, non advertentiam eisdem cum plena deliberatione consentit, vel propter vehementiam passionis, vel distractionem aliquam, &c. Tertio sunt motus prævenientes, quorum malitiam ratio plenè advertit, et illis consentit. His positis sit

§. II.

Assertio Catholica.

CONCLUSIO prima. Neque fomes concupiscentiæ, h. e. habitualis inclinatio appetitus sensitivi in motus inordinatos, neque ipsi motus concupiscentiæ, qui vel rationem præveniant, vel qui inviti patimur, sunt peccata mortalia.

Est de fide, definitum in Trident. sess. 5. can. 5. in verbis: Manere autem in baptizato concupiscentiam, vel fomitem, hac S. Synodus faceret, & sentit, que cùm ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi gratiam repugnantibus, non valet. Ubi licet Trident. loquatur de baptizatis, qui de his negotiis erat cum hæreticis, tamen ob rationem subiungendam identitatem eadem doctrina extendenda est etiam ad infideles, & quoscunque homines.

Probatnr primò autoritate S. Script. & PP. Nam Matth. 15. & Marci 7. dicitur, quòd illa sola coinquinant hominem, que exiunt ex corde, h. e. voluntate, ac proinde quòd voluntarium non est, ut sunt prædicti motus, in peccatum imputari non potest. Apost. Rom. 8. Nihil est damnationis est iis, qui sunt in Christo JESU, qui non secundum carnem ambulant, h. e. non consentiunt tentationibus carnis. Item: Si spiritus facta carnis mortificaveritis, [h. e. resistitis non consentientes] vivetis. 1. Cor. 10. dicit Apost. nos non tentari supra id quòd possumus: sed tentationes & motus carnales, quos demon nobis inficit, aut invitis excitare potest, absque voluntatis consensu nobisque invitis essent peccata non est in hominis potestate, semper impedire, ejusmodi motus exurgant: ergo. Celebre quoque est illud D. August. l. 1. retrad. c. 13. in latium tentatorum, maxime serupulosorum dicens: Peccatum ad eò voluntarium malum est, si nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Et l. de duab. anim. dicit, non nisi voluntate peccatur. Ex quibus etiam

Probatnr secundò ratione. Nihil potest esse peccatum, quòd non est voluntarium; quia, si non sit voluntarium, non est liberum, non mortale; nec proinde cadit sub præcepto, neque est pax meriti vel demeriti: sed prædicti motus & fomes concupiscentiæ nobis non sunt voluntarii, imò sæpenuerò involuntarii: ergo peccata esse non possunt.

Probatnr tertio ab absurdis. Nam sequitur

primò, quòd homo contra suam voluntatem cogi posset ad peccandum, siquidem motus concupiscentiæ etiam à dæmone, & per vim extrinsecus illatam excitari possunt. Sequitur secundò. Simul in eodem supposito merito, & demerito, siue peccatum posse consistere: demeritum siue peccatum in motu concupiscentiæ, meritum in voluntate resistente; siquidem resistere ejusmodi tentationibus actus virtutis est, ab auxilio divino supernaturali proveniens.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

8. Objicies primò ab autoritate. Quod lege prohibetur est malum: sed concupiscentiæ omnes motus prohibentur per legem & præceptum, *Non concupisces*: ergo isti omnes motus sunt mali. Et confirmatur à D. Augustino, in lib. de sp. & lit. dicente, illum solum satisfacere præcepto, *Non concupisces*, qui nullos patitur motus carnis. Secundò. Apostolus Rom. 7. dicit, illos motus esse *contra legem mentis suæ*: sed quòd est contra legem & regulam rationis, peccatum est; ergo. Tertiò. Ibidem concupiscentiam appellat *malum & peccatum*. Quartò. Joan. ep. 1. c. 2. dicit, concupiscentiam non esse à DEO: sed solum peccatum non est à DEO: ergo concupiscentia est peccatum.

9. Respond. ad 1. Per præceptum, *Non concupisces*, prohiberi concupiscentiam voluntariam & deliberatam, ut sensus præcepti sit, non consenties malæ concupiscentiæ. Ideo Eccli. 18. dicitur: *Post concupiscentias tuas non es*. Et Rom. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediat concupiscentiis ejus*. Unde etiam Pius V. & Gregorius XIII. damnarunt istum articulum. *Præva desideria, quibus homo non consentit, & quæ homo involuntarius patitur, sunt prohibita præcepto, Non concupisces*.

Ad confirmationem è D. Aug. Respond. Mentem esse S. Patris, quòd ille qui nullos patitur motus carnis, solum satisfaciat huic præcepto quoad perfectionem & finem legis, non autem quoad obligationem legis, quæ non est nisi de mediis pro consequenda carnis ad spiritum subjectione & obedientia adhibendis.

Ad 2. Respond. motus involuntarios concupiscentiæ esse contra legem mentis, materialiter non formaliter; illud autem tantummodo est peccatum, quòd est contra legem & regulam rationis formaliter. Sic pariter concupiscentia vocatur malum & peccatum materialiter & objectivè, quia est id, quòd accedente consensu voluntatis est formaliter malum & prohibitum, vel metonymicè & figuratè, partim in quantum est effectus peccati originalis; partim in quantum est causa & occasio inducens in consensum peccaminosum, ex quo patet solutio ad 3.

Ad 4. nego min. nam non solum peccatum formaliter, sed neque ulla alia inordinatio moralis, etiam si non sit conjuncta cum peccato, est à DEO. Et sic secundum Apostolum etiam fomes seu concupiscentia, quatenus est vitiosa & inordinata, & rebellis rationi, ut sic non est à DEO, sed est effectus peccati originalis: est tamen à

R. P. Mez. g. Theol. Schol. Tom. II.

DEO, quatenus est inclinatio, aut motus in bonum sensibile proportionatum naturæ sensitivæ.

Objicies secundò à ratione. Peccatum originale imputatur parvulis, & si non proprià voluntate sit contractum: ergo etiam fomes imputatur adultis, & si non sit proprià voluntate contractus; siquidem est sequela peccati originalis. Secundò. Ad peccandum sufficit voluntarium in causa: sed motus concupiscentiæ sunt voluntarii in causa, nimirum in peccato originali: ergo. Tertiò. Si motus concupiscentiæ primò primi non essent peccata, liceret in illis habere complacentiam, aut illos desiderare: sed neutrum est licitum: ergo sunt peccata.

Respond. ad 1. neg. consequentiam; hoc itaque quippe soli peccato originali proprium est, ut ratione pacti cum Adamo initi imputetur posteris peccatum ipsius Adami tanquam moraliter contentis in voluntate primi parentis, & capitis totius humanæ posteritatis: omne autem aliud peccatum proprià voluntate committitur, ideoque personale dicitur. Ad 2. dist. maj. sufficit voluntarium in causa proxima per propriam voluntatem datà, concedo; remotà, per alienam voluntatem datà, ut est fomes concupiscentiæ, & motus ipsius, nego. Ad 3. nego sequelam; ut enim non liceat illos desiderare, sufficit quòd sint mali malitià objectivà; nec requiritur, ut sint mali malitià formali.

§. IV.

Alterà pars questii resolvitur.

CONCLUSIO secunda. *Motus concupiscentiæ independenter ab omni actuali vel interpretativo consensu voluntatis ne quidem potest esse veniale peccatum.* Ita Alvarez & Medina contra Gonet, & Salmant.

Probatum primò autoritate supra adductà præsertim Evangelicà, ubi negatur *hominem coinquinari, nisi per illa quæ ex corde*, h. e. voluntate exeunt. Et D. Aug. affirmantis, solà voluntate peccari. Tridentini sess. 5. in decr. de peccato originali definitis, *concupiscentiam, quæ in baptizatis manet, non notere non consentientibus*.

Probatum secundò ratione & autoritate S. D. 13. in 2. d. 24. q. 3. a. 2. Omne peccatum commissionis est aliquis actus inordinatus voluntarius & moralis: sed motus appetitus sensitivi absque aliquo voluntatis influxu non est voluntarius & moralis: ergo. Min. prob. partim ex loco citato. ubi dicit S. D. *Ibi incipit genus moris, ubi primò dominium voluntatis invenitur*: partim ex eo quòd idem S. D. definit, actum humanum & morale esse illum, qui ex voluntate deliberata procedit, & quæ homo operatur tanquam homo & dominus suorum actuum: sed non nisi per voluntatem homo operatur ut homo & dominus suorum actuum: ergo absque exercitio voluntatis nullus actus est voluntarius & moralis.

Probatum tertiò. Ad omne peccatum etiam veniale requiritur libertas contrarietatis circa bonum & malum morale, h. e. circa honestum, & inhonestum: sed in appetitu sensitivo independenter à voluntate non est libertas circa honestum

Dd 2

stum & inhonestum: ergo etiam in appetitu sensitivo independenter à voluntate non potest esse peccatum veniale. Minor probatur: Ut in appetitu sensitivo esset libertas & indifferentia circa rationem honesti & inhonesti, deberet appetitus regulari per iudicium indifferens, in quo videlicet rationes honesti & inhonesti, liciti & illiciti, indifferentiter proponeretur [hac quippe de causa appetitus sensitivus habet libertatem contrarietatis circa bonum & malum morale] sed per tale iudicium regulari non potest; nam sicut voluntas per rationem, sic appetitus sensitivus excitatur & regulatur per potentiam cogitativam: sed ratio honesti & inhonesti est extra sphaeram & objectum potentiae cogitativae, nec ab ipsa apprehendi potest; cum enim sit potentia sensitiva, non est nisi de objecto sensibili, quale non est ratio honesti & inhonesti: ergo.

15. Respondent Adversarii, sufficere, quod motus sensualitatis sit à voluntate tanquam movere potente, non tamen tanquam actu movente, quod fit, quando ratio illos quidem motus advertit, & exinde voluntatem constituit in potentia illos motus reprimendi, voluntas tamen actu neque consentit, nec etiam resistit.

Sed contra est primò. Voluntas ut præcisè potens movere, tantum dicit dominium habituale & potentiale, non autem actuale: sed peccatum seu actus moralis ad peccatum non sufficit, præcisè quod voluntas sit potens reprimere motum appetitus sensitivi.

Contra est secundò. Si requiritur advertentia rationis, ad hoc ut motus sensualitatis sit peccatum, tunc etiam voluntatis consensus requiritur. Antecedens per adversarios est verum; ergo & consequens. Sequela probatur: Sicuti potentia cogitativa rationi, sic vis appetitiva in homine subordinatur voluntati: ergo sicuti ad peccandum non sufficit cogitativa sine concursu rationis, ita nec sufficit appetitiva sine concursu voluntatis.

Contra est tertio. Quando voluntas non resistit motibus inordinatis, quibus potest & debet resistere, tunc interpretativè consentit, uti mox dicitur ex instituto: sed juxta Gonetum quando in appetitu sensitivo est peccatum, tunc voluntas potest inordinato ipsius motui resistere, & debet: ergo interpretativè consentit, adeoque nunquam est peccatum in appetitu sensitivo sine interpretativo saltem consensu voluntatis.

16. Replicat Gonet. Istum interpretativum consensum voluntatis non adesse per se formaliter & ex exigentia venialis malitiae, sed tantum per accidens & concomitanter, nimirum ex natura voluntatis, quæ existente cognitione nequit esse suspensa. Sed contra est: quod malitia peccati etiam venialis per se exigit, ut sit voluntaria, moralis, & contrariè libera: atqui ad hoc etiam per se requiritur aliquem consensum voluntatis, vel formalem, vel interpretativum, sufficienter ostensum est: ergo. Præterea. Etiam juxta Gonetum per se requiritur ad malitiam venialem inordinati motus concupiscentiae advertentia rationis: ergo etiam per se requiritur consensus aliquis voluntatis. Consequentia probatur: quia ratio

non est immediata regula appetitus sensitivi, sed rationalis: ergo non nisi mediante consensu voluntatis potest concurrere ad malitiam illius motus.

§. V.

Solvuntur Objectiones.

Objicies primò auctoritatem S. D. hic a. 3. ad 1. dicentis, *Appetitus sensitivus in nobis prae aliis animalibus habet quandam excellentiam, scilicet quod natus est obedire rationi: & quantum ad hoc potest esse principium actus voluntatis, & per consequens peccati.* Ubi, inquit Gonet, S. D. non recurrit ad actuale influxum, quem voluntas vel ratio in appetitum exercet, sed ad illam excellentiam habitualement, quæ natus est ita in sum objectum tendere, ut tamen valeat cohereri à voluntate. In q. 7. de malo a. 6. *Sensualitas [inquit] quandoque movetur absque imperio rationis & voluntatis, & tunc peccatum dicitur esse in sensualitate: sed tunc peccatum non potest esse mortale, sed veniale tantum.*

Respond ad 1. illam auctoritatem magis obesse, quam favere Adversariis; nam ex illa sequitur, quod propter obedientiam ad rationem, cuius appetitus sensitivus hominis solus est capax, etiam sit principium actus voluntatis: sed hanc obedientiam non habet actu, nisi voluntas imperet; nam certè appetitus sensitivus non est principium actus moraliter boni, nisi propter obedientiam actualem & influxum voluntatis: ergo neque est principium actus moraliter mali nisi independenter ab imperio vel influxu voluntatis.

Ad 2. Respond. *Id imperium accipi à S. D. in propria & rigorosa significatione, in qua, cum sit actus perfecte deliberatus, præceptiva intimatio & impulsus non tantum veniale sed etiam mortale peccatum causat.* Nos autem loquimur solum de imperfectè deliberato, aut interpretativo etiam imperio & consensu voluntatis, quem S. D. supponit.

Instat Gonet è S. D. q. 25. de Ver. a. 5. ad 5. dicente: *Non dicitur peccatum esse in sensualitate propter interpretativum consensum rationis.*

Respond. S. Doctorem hoc velle, quod ratio, cur peccatum sensualitatis tanquam principio vel subjecto tribuatur, non sit consensus rationis, sed enim potius tribueretur rationi, sed ipsius imperfecta libertas, seu subiecitabilitas ad rationem. Ex quo tamen non sequitur, quod ad imputabilitatem malitiae venialis per se nullus requiratur influxus voluntatis, prout ipse insinuat, ad 9. dicens: *quod omne peccatum imputatur homini, in quantum habet voluntatem. & tamen peccatum dicitur esse aliquo modo in illa potentia, cuius actum contingit esse defectum.*

Objicies secundò ex ratione: In illa potentia potest esse peccatum veniale, in qua est libertas, sed appetitus sensitivus propter habitualement conjunctionem cum voluntate habet propriam, quamvis minimam & imperfectam libertatem: ergo propter eandem habitualement conjunctionem potest esse subjectum peccati venialis. Minor est certa S. Doctoris in primis hic a. 2. ad 3. dicentis: *Potentia appetitiva interioris comparatur ad rationem quasi libera.* Deinde potentia

via cogitativa & memorativa in homine propter conjunctionem cum ratione participat vim discurrendi circa singularia, ut habet idem S. D. r. p. q. 78. a. 4. in c. ergo similiter appetitiva participat libertatem propter conjunctionem cum voluntate. Tandem subjectum virtutis & vitii debet esse intrinsecè liberum: sed appetitus sensitivus est subjectum virtutis & vitii: ergo. Ex quo

Confirmatur primò. Subjectum virtutis & vitii etiam potest esse subjectum peccati: sed appetitus sensitivus independenter ab actuali influxu voluntatis est subjectum virtutis & vitii: ergo.

Confirmatur secundò. Ad peccatum mortale, quod est perfectum & maximum in genere peccati, requiritur perfecta libertas, quæ est in voluntate: ergo ad veniale quod est minimum in genere peccati, sufficit libertas minima, quæ reperitur in appetitu sensitivo.

19. Respondeo primò. Si quid hæc argumenta, prout etiam autoritates objectæ, probarent, probarent etiam contra Adversarios, quòd motus inordinati concupiscentiæ primò primi præventes rationem & advertentiam, vel etiam contradicente ratione eliciti essent peccata venialia, siquidem procedunt à potentia habente imperfectam libertatem, suntque inordinati: hoc autem repugnat Tridentino, & doctrinæ Adversariorum: ergo.

20. Respondeo secundò. In illa potentia potest esse peccatum, in qua est libertas & indifferentia circa bonum & malum morale, concedo; alia quæcumque, & circa bonum sensibile præcisè, nego. Atqui independenter à voluntatis influxu & regula rationis non dari in appetitu sensitivo libertatem circa bonum & malum morale, utpote constitutum extra spheram & objectum ipsius, constat ex dictis: Unde, concessis probationibus Minoris, quæ solum probant libertatem imperfectam, non autem quod sufficit ad peccatum sine motu & consensu voluntatis:

Ad primam Confirmationem nego min nam virtutes & vitia in appetitu sensitivo non nisi per actus ab intellectu & voluntate regulatos regulantur.

Ad 2. Confirmat. patet ex dictis; nam negatur consequentia: siquidem illa imperfecta libertas sine consensu voluntatis non est circa bonum & malum morale.

§. VI.

Corollaria.

21. Colliges ex dictis primò. Imperfectam libertatem appetitus sensitivi maximè in hoc consistere, uti explicat S. D. cit. q. 25. de Verit. quòd

ratio advertens motus in appetitu excitatos ab objecto repræsentato sub ratione delectabilis, illud objectum repræsentet, & applicet pariter potentiam cogitativam & phantasiam ad illud apprehendendum sub ratione objecti tristabilis, quo facto reprimatur motus concupiscentiæ: quavis è vehementia primæ apprehensionis, quæ ut propius & connaturalius, sic fortius influit in appetitum, sæpe contingat, illos motus, etiam ratione in contrarium nitente, continuari: quæ de causâ licet absolute appetitus sit subjectus voluntati, ut averteretur illud objectum, quod ipsi ex impulsu voluntatis ab intellectu tanquam tristabile proponitur: non tamen despotice, ut vocant, & serviliter subest, sed politice: quia aliquando fortius trahitur per repræsentationem phantasiæ, quæ objectum ut delectabile proponitur, quam per repræsentationem intellectus, quæ objectum ut tristabile repræsentatur: ideoque indiget habitibus facilitantibus ad obediendum rationi.

Colliges secundò. Sensualitatem tantum esse se subjectum peccati venialis, non autem mortalis, ut habet S. D. a. 4. Ratio est: quòd illa solum potentia dici potest subjectum peccati mortalis, cui potest attribui deordinatio ab ultimo fine: sed hæc non potest attribui appetitui sensitivo: ergo. Minor probatur: Illi potentiæ non potest attribui deordinatio à fine ultimo, cui non potest attribui ordinatio in finem ultimum; oppositorum enim est commune subjectum: sed ordinare in finem ultimum non pertinet ad appetitum, sed ad rationem: ergo.

Colliges tertio. Causam, cur peccatum veniale motus concupiscentiæ tribuatur appetitui sensitivo, non autem mortale, esse, quia perfecta deliberatione deviare & averti à fine ultimo, est maximè vitium rationis & deliberati consensûs, quantumvis motus ab appetitu sensitivo proveniat: atqui complacentia imperfecta, cum semiplena tantum deliberatione potius est ex vitio sensualitatis, suæ passionis vehementia turbantis rationem, & perfectam advertentiam impediens.

Colliges quartò. In ratione seu intellectu subjectari posse peccatum mortale, ob rationem oppositam. Nam in ea potentia potest esse peccatum mortale, in qua potest esse ordinatio circa finem ultimum, sed hæc potest esse in intellectu, & est defacto, quotiescunque intellectus practicus in voluntate regulanda à debito ultimo fine aberrat: Nihilominus non tantum in regulando potentias inferiores, sed etiam in cognoscendo proprio objecto & veritate nunc leviter, nunc graviter ratio errare potest,

ARTICULUS III.

An peccatum morosa delectationis sit in ratione?

SUMMARI A.

1. Quid sit morosa delectatio?
2. Quid sit ratio superior, & inferior?
3. Morosa delectatio est in ratione dirigente, & inferiori.
4. Objecta solvuntur.

§. I.

Prænotanda.

Notandum primò. Morosam delectationem rectè definiri, quòd sit voluntaria delectatio de ali-

de aliqua re inhonesta, per cogitationem ut præfenti apprehensa. Dicitur primò, voluntaria delectatio, quo indicatur, illam non appellari morosam à mora temporis, quo delectationi inhaeret, sed à mora rationis & voluntatis, veritam delectationem post plenam advertentiam reprimere negligentis, cum tamen posset & deberet reprimere: unde peccatum morosæ delectationis etiam in instanti potest contingere. Dicitur secundò. De re inhonesta, h. e. de objecto illicito in quacunq; materia, quamvis communiore usû intelligatur delectatio de objecto illicito in materia venerea. Hinc excluduntur delectationes de cogitatione, vel aliquo modo & circumstantia rei illicitæ, quæ absolutè possunt esse objectum bonum & honestum. Dicitur tertio. De re ut præfenti apprehensa; si enim esset de re quatenus futura, vel exequenda, non adesset tantum consensus in delectatione, sed etiam in ipsum opus, quod est longè majus & distinctum peccatum à morosæ delectatione, & solet appellari delectatio operosa. Ita qui habet voluntariam & simplicem complacentiam in fornicatione cum aliqua femina sibi in mente delectabiliter repræsentata, tamen sine voluntate cum illa peccandi, peccat peccato morosæ delectationis; sin ulterius progrediatur ad desiderium peccandi, & ad consentium in opus oblatà occasione exequendum, gravius peccat peccato operosæ delectationis.

2. Notandum secundò. Rationem dividi à S. D. in superiorem & inferiorem, cui responder ex parte voluntatis portio superior & inferior, quæ distinctio non est in duas potentias, sed tantum in duo munia ejusdem intellectus inadaquatè distincta. Nam eadem ratio quatenus per rationes superiores & æternas procedit ad ferendam sententiam de honestate vel turpitudine actus, sic dicitur ratio superior; eadem verò quatenus per rationes temporales & humanas judicat de temporali bonitate, utilitate, delectabilitate alicujus actus, sic dicitur ratio inferior; e. g. si conspecto inimico dicat cogitatio, illum esse occidendum, quia est honorificum vindictam sumere de inimico, dicitur hoc esse judicium rationis inferioris; si dicat, illum non esse occidendum, quia lex charitatis imperat etiam inimicis ignoscere, dicitur hoc esse judicium rationis superioris. Quæritur ergo: an peccatum morosæ delectationis sit in ratione, eaque vel superiori, vel inferiori?

§. II.

Assignatur subjectum morosæ delectationis.

CONCLUSIO. Peccatum morosæ delectationis non est in ratione dirigente, & magis appropriatur rationi inferiori; uti contra consensus in opus magis attribuitur rationi superiori. S. D. a. 6. & 7.

Ratio 1. partis est: Tunc peccatum est in ratione dirigente, quando motus aliarum potentiarum non corrigit prout potest & debet corrigi; sed tunc contingit peccatum morosæ delectationis, quando ratio est negligens in corrigenda inordinata complacentia & delectatione appetitivæ sive rationalis sive sensitivæ: ergo peccatum morosæ delectationis est in ratione dirigente.

Ratio 2. & 3. partis est ex S. D. citato, quod judicium præambulum ad finalem sententiam potius tribuitur judici inferiori, quam superiori; uti vice verà finalis sententia de agendis magis adscribitur judici superiori, quam inferiori; atqui consensus in delectationem [quod est peccatum morosæ delectationis] dicitur judicium præambulum ad finalem sententiam, siquidem delectatio præcedit actum, & ad ipsum ordinatur; consensus verò in actum includit finalem sententiam de agendis: ergo peccatum morosæ delectationis magis rationi inferiori; contra consensus in actum magis est tribuendus rationi superiori.

Dices: Nunquam committitur peccatum morosæ delectationis, nisi ratio advertat ad inhonestatem ipsius, quòdque delectatio sit repugnans legi æternæ & rectæ rationi: sed hoc pertinet ad rationem superiorem: ergo etiam ipsum peccatum morosæ delectationis pertinet ad rationem superiorem. Præterea; Equè voluntas ex objecti delectabilitate movetur ad consentium in opus, quam in delectationem: sed hoc pertinet ad rationem inferiorem: ergo quæ consensus in opus pertinet ad rationem inferiorem, ac consensus in delectationem.

Respondeo: tam consentium in delectationem esse in ratione superiori, quam consentium in opus in ratione inferiori subjective, sed non ita appropriativè: nam ob prædictam rationem congruentiæ per quamdam accommodationem magis appropriatur consensus delectationis rationi inferiori ceu præambulæ, & quæ proxima trahitur à delectabilitate objecti, quam consensus in opus, ubi major supponitur advertentia à apparentia legis prohibentis.

ARTICULUS IV.

An morosa delectatio, seu consensus in delectationem sit peccatum mortale?

SUMMARI A.

1. Distinctio inter delectationem de cogitatione, & de re cogitata.
2. Aliquando delectatio est de substantia, aliquando de circumstantia rei mala.
3. Regule discernendi delectationem de cogitatione, & de re cogitata in materia venerea.
4. Questio insinuitur etiam de delectatione sistenti in voluntate.
5. Licitum est delectari de cogitatione rei malæ.
6. Item de modo artificioso illius.
7. Consensus in delectationem de re mala semper malus, juxta Script. & PP.
8. Ratio D. Thomæ.
9. Consensus in delectationem veneream extra matrimonium est mortale peccatum.
10. Objectiones.

11. Solvuntur.
12. Oblectatio rei male extrinsecè non semper est mala.
13. Oblectatio de opere malo, ut malo, est mala.
14. Non est malum desiderium operis mali sub conditione verè auferente malitiam.
15. Est malum sub conditione non verè auferente malitiam.
16. Quomodo per morosam delectationem peccet vidua, vel sponsus?
17. Quando nam excusentur à peccato.
18. Quando conjuges peccent?

§. I.

Prænotanda.

CERTUM est, quòd consensus in ipsum opus, sit peccatum ejusdem gravitatis & speciei, sicut opus ipsum: solum igitur procedit quæstio de consensu in delectationem. Circa quam

Notandum primò: Delectationem aliquando esse de cogitatione rei malæ, aliquando verò de re mala cogitata. De cogitatione delectamur, quando motivum delectandi non est res cogitata, quam animus abhorret, & detestatur, sed ipsa cognitio veritatis, quam habemus de tali objecto; ita homines justi & sapientes, Angeli, DEUS ipse complacentiam habent de exacta cognitione etiam gravissimorum peccatorum. De re cogitata delectamur, cum motivum delectandi est delectabilitas ipsius rei & objecti cogitati, ipsaque cogitatio solum est conditio sine qua non.

Notandum secundò. Delectationem aliquando esse de substantia operis mali, aliquando verò tantum de aliqua circumstantia, aut modo delectabili ipsius. Sic ridet aliquis casum hominis ebrii, non quòd reverà gaudeat vel de casu vel de ebrietate, sed de modo amentia, quam ebrius exhibet. Ita placent in Comiciis actionibus ingeniosa furta, non quòd ipsum opus injustitiæ, sed modus furandi ingeniosus, aut mimicum imitandi artificium oblectet. Et ratio est: quòd appetitus sequatur apprehensionem: sed in apprehensione quandoque aliquis modus ac circumstantia ut delectabilis representatur, absque hoc, quòd opus ipsum delectabile appareat: ergo similiter appetitus poterit delectari in aliquo modo & circumstantia sine operis ipsius complacentia.

Notandum tamen tertio. Quamvis extra materiam veneream facile sit delectationem de cogitatione rei malæ, aut delectationem ipsius rei distinguere, id tantum esse perquam difficile in cogitatione de objectis venereis, eò quòd propter objecti delectabilis vehementiam, naturæque vitiatæ lubricam propensionem periculosum sit in solius cogitationis delectatione sistere, quin simul rapiatur appetitus in rei cogitatæ delectationem. Nihilominus signa quædam, è quibus cognosci possit, num de sola cogitatione rei inhonestæ sit delectatio, tradit Castropal. Tr. 2. disp. 2. p. 10. §. 1. primò, si habeas expressam displicentiam operis mali, & interrogatus, an illud opus placeat, mox negativè responderes. Secundò: si cogitatio rei inhonestæ oriatur ex causa vel occasione licita & honesta: v. g. ex auditis confessionibus, lectione, & studio Casuum, rei medicæ &c. Ter-

tiò: si non sit major affectus erga elegantiam, & artificium aliquid, quod reperitur in turpi objecto, quàm si illud in re indifferenti, vel honesta audires, inspiceres, &c. tunc magis de modo artificioso vel pulchro, quàm de re ipsa delectari præsumeris: econtra si artificium aliquid picturæ, carminis, musicæ, narrationis historia, exhibitionis comicæ in objectis turpibus avidè venaris, in aliis verò piis honestisve objectis erga illud parum aut nihil afficeris, non tam de modo pulchro & artificioso, quàm ipsa objecti turpitudine convinceris delectari.

Notandum quartò. Quæstionem procedere non tantum de consensu in delectationem sensibilem, quæ nimirum oritur in appetitu sensitivo, sed etiam rationali, quæ est complacentia ipsius voluntatis & appetitus rationalis: nam utraque sufficit ad morosam delectationem. His positis sit

§. II.

Statuitur discrimen inter delectationem de cogitatione, & re mala cogitata.

CONCLUSIO PRIMA. Per se loquendo nulum est peccatum delectari de cogitatione, vel aliquo modo artificioso & delectabili res illicitæ. Ita communis.

Ratio est: quia delectatio rei non mala non est mala: atqui cogitatio rei malæ, vel aliquis modus mirabilis, aut delectabilis ipsius, non est malus: ergo neque de his voluntariè delectari est malum. Unde DEUS & angeli gaudent de facto de perfecta cognitione, quam habent, non tantum bonorum, sed etiam malorum. Dixi per se loquendo: nam per accidens fieri potest, ut ejusmodi delectatio fiat mala saltem venialiter, vel ex intermissione debitæ ordinationis in bonum finem, vel ex adjunctione finis indebiti.

Dices: Non licet desiderare & efficaciter velle aliquem modum artificiosum, qui est inseparabilis ab actu malo: ergo etiam tali artificioso modo delectari non licet. Respond. negando consequentiam: quia simplex complacentia sequitur conditionem objecti, ut est in apprehensione, sed apprehensio aliquando præciudit modum artificiosum ab ipsa malitia operis; estque per accidens, quòd illud artificium in tali materia inhonestæ reperitur. Econtra voluntas efficacè sequitur conditionem objecti ut est à parte rei, ubi modus artificiosus non est separabilis ab opere malo.

CONCLUSIO SECUNDA. Consensus in delectationem de re mala cogitata, semper est malus: & pro qualitate objecti vel mortale vel veniale peccatum. Ita communis Catholicorum DD. cum S. D. hæc q. 74. a. 8.

Probatur primò autoritate S. Script. & PP. Nam pl. 10. Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Et Matth. 5. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est illam in corde suo. Qui locus non solum de efficaci appetitu peccandi, sed etiam de simplici & deliberata delectatione fornicandi à SS. PP. exponitur: nam Hilarius in huncipsum locum, In Evangelio, inquit, adulterio motus tantum oculi incidentis æquatur, & cum fornicationis opere punitur illecebrosa trans-

transcurrentis visus affectio. Ita & Chrylost. hom. 17. in Math. *Qui studet, inquit, elegantes facies inspicere, ipse sibi fornacem istius passionis accendit, & captivam faciens animam ad opus quoque celeriter adducit, propterea non dixit, qui concupivit ad adulterandum, sed qui viderit ad concupiscendum.* Ubi S. Pater expresse distinguit inter concupiscere, & videre ad concupiscendum. Item S. Greg. 1. 21. Moral. c. 2. *Per Moysen luxuria perpetrata, per auctorem vero munditie luxuria cogitata damnatur.* D. August. 1. 12. de Trin. c. 12. *Nec sanè, inquit, cum sola delectatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse faciendâ, tenens tamen & voluens libenter, quæ statim ut attingunt animum, respui debuerunt, negandum est esse peccatum; sed longè minus, quàm si opere statuatur implendum.* Et mox, ut ostendat in hac morosa delectatione gravitatem peccati mortalis reperiri, subjicit: *Totus homo damnabitur, nisi hæc, quæ sine voluntate peccandi, sed tamen non sine voluntate talibus animum oblectandi solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per Mediatoris gratiam remittantur.*

8. Probatur tertio ratione S. Doctoris. Omnis deliberata voluntas rei malæ, est mala: sed consensus in delectationem rei malæ est deliberata voluntas rei malæ: tum quia delectatio cum consensu juncta est deliberata adhesio & inclinatio in rem malam; tum quia delectatio & operatio reducuntur ad idem genus: e. g. ad justitiam æquæ pertinet delectari de operibus justis, ac operari iusta; ipsæque delectationes sunt propter operationes: ergo, si opus ipsum est malum, etiam deliberatè delectari de tali opere malum est; & consequenter, si opus sit mortaliter malum, etiam delectatio erit mortale peccatum, vel si sit malum venialiter, erit veniale; e. g. si delectationem capias, quod levi mendacio alium deciperis, erit peccatum veniale; si gaudeas de commisso gravi furto, vindicta, &c. erit mortale peccatum.

§. III.

Consensus in delectationem veneream damnatur peccati mortalis.

9. **CONCLUSIO TERTIA.** *Consentire in delectationem veneream extra statum matrimonii semper est mortale peccatum, tamen si delectatio sistat in sola voluntate, & non sit in appetitu sensitivo.* Ita Comm.

Et probatur primò suprà adductis autoritatibus, quæ maximè loquuntur de delectatione venerea; ideoque delectantes condemnant peccati mortalis.

Probatur secundo ratione: Consentire in delectationem, quæ in se gravem deformitatem & repugnantiam habet cum recta ratione, est grave peccatum: sed delectatio venerea sive sit in appetitu sensitivo, sive sistat in voluntate, habet gravem deformitatem & repugnantiam cum recta ratione; unde ibi nulla datur parvitas materia: ergo consensus in illam semper est grave peccatum. Minor quoad 1. partem probatur: Venerea delectatio orta in appetitu sensitivo est libidinosa commotio spirituum generationis servientium naturâ suâ tendens ad expulsionem se-

minis, seu actum generationis; sed hunc finem querere, & actum generationis inchoare extra statum matrimonii habet gravem deformitatem repugnantem instituto naturæ & regulis rationis, estque pro varietate objectorum, circa quæ versatur mens venereè se oblectantis, auctochoata mollicitis & peccatum contra naturam aut fornicatio, &c. ergo hæc delectatio semper habet gravem deformitatem contra rectam rationem. Quoad 2. quæque partem probatur primò: Quia absque gravi necessitate & utilitate dare causam proximam intra genus luxurie se se incitativam ad motus libidinosos, est grave peccatum: sed complacentia voluntatis de actu vel objecto venereo est talis causa: ergo. Secundo: quia voluntas & amor operis mortaliter mali est mortaliter malus: sed etiam si delectatio sistat in voluntate, est tamen amor operis mortaliter mali: ergo etiam est mortaliter mala.

Dices primò. Si morosa delectatio esset peccaminosa, etiam esset prohibita, & quidem precepto, *Non concupisces*: sed hoc non est prohibita: quia per illud tantum damnatur concupiscentia, quæ est efficacis voluntas peccandi carnaliter: at delectatio tantum est simplex complacentia & voluntas inefficax. Secundo. Delectari de actu virtutis non sufficit ad meritum: ergo etiam delectari de opere malo non sufficit ad peccatum. Tertio. Malitia operis cogitari non semper redundat in delectationem: ergo non sequitur, si opus est malum, etiam delectationem de tali opere esse malam. Antecedens probatur, malitia intrinseca fornicationis consistit in damno prolis: sed hæc non redundat in simplicem delectationem voluntatis, neque enim fornicatio solum cogitata damnum proli inferre potest.

Respond. ad 1. primò, ex S. D. q. 15. de Ver. 4. morosam delectationem etiam prohiberi precepto, *Non concupisces*. Quia qui voluntariè delectatur de opere illicito, concupiscit illud, non quidem ad efficiendum, quæ esset voluntas efficacis, sed tamen ad sese oblectandum per amorem simplicis complacentiæ, adeoque est concupiscentia operis habendi affectivè, & in esse voliti non executive, & in esse rei. Respond. 2. Delectationes morosas prohiberi iisdem præceptis quibus ipsa opera prohibentur; si quidem, ut dictum, delectatio & opera pertinent ad idem genus: Unde delectatio morosa de fornicatione statibus, osculis, &c. prohibetur sexto præcepto, quo omnia ad genus fornicationis pertinentia prohibentur. Ad 2. Respond. primò cum S. D. l. c. ad 13. negando consequentiam, quia plus requiritur ad meritum, quàm demeritum, cum bonum sit ex toto, malum autem ex quolibet defectu, uti primò in simili casu diximus: Nihilominus

Respond. secundo. Si delectatio de actu virtutis proveniat ex motivo intrinseco honestati ipsius virtutis cum relatione ad DEUM ut ultimum finem, nihil ipsi deesse, unde à ratione merito excludi debeat, ideoque nego antecedens. Ad 3. neg. ant. & probationem maj. dist. Malitia fornicationis consistit in damno prolis tantum ut effectivè volito, vel ponendo, nego; etiam ut affectivè volito, concedo. Sed fornicatio tantum

tum cogitata non infert damnum proli effectivè & in esse rei, concedo; affectivè & in esse voliti, nego min. & consequentiam; nam & ipsum damnum prolis in illa interna oblectatione est interpretativè volitum, non quidem ad committendum, sed tamen ad oblectandum, ideoque tota inordinatio fornicationis [inquit S. D.] redundat in delectationem, quæ ex ipsa causatur.

§. IV.

Corollaria.

12. Colliges ex dictis primò. Oblectari absolutè & secundùm se iis rebus, quæ ideo tantùm sunt mala, quia lege positiva, vel voluntario voto prohibita, non esse peccatum mortale morosæ delectationis. Ita communis, Ratio est; quia in ejusmodi objectis tantùm extrinsecè malis delectatio fertur in substantiam operis, quæ per intellectum ab extrinseca prohibitione præcinditur: sed substantia operis sic præcisa nullam habet gravem malitiam; ergo etiam delectatio non est de objecto graviter illicito. Unde non peccabis graviter, die Veneris cum delectatione cogitando de esu carnum sine tamen proposito illas comedendi, siquidem ille de se non est illicitus. Dixi absolutè: si enim oblecteris de esu carnum, quatenus repugnat præcepto Ecclesiastico, ut fieri solet apud hæreticos, tunc utique delectatio fertur in formalem inobedientiam juri naturali repugnantem.

13. Colliges secundò. Jactare se, & gloriari de opere malo, quatenus in se grave malum est, semper esse peccatum mortale; non autem esse grave peccatum, gloriari de aliquo peccato sub aliqua ratione, vel modo non graviter malo: e. g. si glories de robore & corporis viribus, quibus alium superasti in epotandis calicibus, unde ille fuit inebriatus, tunc enim fieri potest, ut non adfit approbatio ipsius operis mali, v. g. ebrietatis, in quantum mala est, sed tantùm alicujus circumstantiæ non graviter malæ.

14. Colliges tertio. Non esse mortale peccatum, desiderare aliquod opus hic & nunc prohibitum, vel delectari de illo sub conditione verè auferente malitiam operis. Ita communis DD.

Ratio est, quia non nisi voluntas operis mali est mala: sed cum conditio auferat malitiam, non est voluntas operis mali: ergo delectari de objecto sub conditione verè auferente malitiam, non est malum. Itaque non est grave peccatum, si conjugatus dicat, Ducerem aliam uxorem, si ista esset mortua: si quis die Veneris cogitet, Quàm libenter comederem carnes, nisi esset dies Veneris, &c. Dixi sub conditione verè auferente malitiam. Nam

15. Colliges quartò. Si conditio adjecta malitiam tantùm ex parte auferat, vel omnino nullam, uti contingit in actibus intrinsecè malis, quæ nullâ circumstantiâ vel conditione coonestari possunt, tunc esse nihilominus peccatum desiderare tale opus, vel delectari de illo. Ratio primi est, quòd tunc saltem pars operis supponitur esse graviter prohibita, e. g. si quis dicat: Vellem furari hunc calicem, nisi esset res sacra; conditio adjecta auferat quidem malitiam sacrilegii, non autem malitiam furti. Ratio secundi est, quòd conditio impossibilis habetur pro non adjecta: sed in

objectis & actibus intrinsecè malis conditio auferens malitiam est impossibilis: ergo habetur pro non adjecta. Præterea; Optare, ut mutetur lex naturæ, est malum; sed objectis intrinsecè malis adijcere conditionem auferentem malitiam, est velle, ut immutetur lex & ordo naturæ: ergo. Itaque non excusabitur à peccato, qui serio dicit, Vellem blasphemare, mentiri, fornicari, me vindicare, si esset licitum, hic enim est affectus simpliciter peccaminosus. Dixi tamen, si serio dicat: nam aliquando contingit, ut hoc modo loquendi homo tantùm significet internam & ordinatam naturæ propensionem, quam tamen recordatione divinæ legis cupit reprimere, neque habet complacentiam de opere malo: quo casu non erit grave peccatum: quamvis non sit consultum ejusmodi velleitatibus assuescere, cum facile transeat in veram & sinceram complacentiam operis mali, etiam tunc quando adijci videtur conditio malitiam auferens.

Colliges quintò. Mortaliter peccare viduam, 16. quæ in præsentem capit veneream delectationem de præterito actu conjugii, quem sibi præsentem imaginatur: & similiter sponsam, qui admittit carnalem voluptatem, excitatam per imaginationem copulæ conjugalis cum legitima sponsa: quamvis enim objecta istius delectationis sub ratione præteriti vel futuri non sint illicita, quatenus tamen apprehenduntur ut præsentia, sicque libidiniosam delectationem excitant, sic habent gravem turpitudinem rectæ rationi repugnantem ob rationem superius adductam. Quod etiam de sola rationali delectatione non redundante in sensualitatem affirmant probabilius Vasq. Lessius, Castropal. Tr. 2. d. 2. p. 10. §. 2. eò quòd talis delectatio sit per se excitativa motuum impurorum. Sanchez tamen, Tannerus & alii existimant, non esse grave peccatum. Quod equidem speculative loquendo & spectando delectationem præcisè ex parte objecti sine periculo motus libidinosi, probabile est; sed quia tale periculum in causa proxima per se directè inductiva in ejusmodi motus in praxi abesse vix potest, ideo prior sententia Castrop. est practicè longè probabilior. Unde

Si dicas: Operatio & delectatio habent eandem bonitatem: sed actus conjugalis præteritus, de quo vidua; & futurus, de quo sponsa delectatur, est licitus: ergo & delectatio. Respondet primò. Actus conjugalis est licitus pro statu præterito, vel futuro, concedo; pro statu præsentem, quem habet in repræsentatione phantasia, vel intellectus, sic nego; ergo delectatio de ipso erit licita, quando non repræsentatur sub statu præsentem, concedo; secus, nego min. & consequentiam. Respondet secundò. Delectatio habet eandem bonitatem cum operatione, quando non per se causat aliam operationem illicitam, concedo; secus, nego: sed delectatio de copula licita causat in præsentem motum illicitum, qui est inchoatio pollutionis, vel copulæ præsentis.

Colliges sextò. Non tamen peccare sponsam vel viduam, si delectatione rationali gaudeant de actu matrimoniali sub formali ratione præteriti vel futuri, non imaginando illum ut præsentem; vel propter aliquem bonum effectum, v. g. libero

liberos procreatos, adeptam hereditatem, &c. quia sub tali circumstantia & conditione objectum non habet specialem deformitatem, nec est per se excitativum motus libidinosi. Quo modo etiam delectari de pollutione habita, præcisè ad bonum aliquem effectum, v. g. ob sanitatem, sedationem tentationis, &c. non esse peccatum, docent communiter DD.

18. Colliges septimò. Conjuges mortaliter peccare, cum in actu conjugali sibi imaginantur aliam personam, quia tunc delectationi morali applicant objectum mortaliter malum. Sed peccabuntne etiam, si in absentia compartis se oblectent de copula maritali? si subit periculum

pollutionis, mortaliter peccare, certum est: si non subit, probabile est, non peccare mortaliter, quia status matrimonii sicuti excusat à gravi peccato tactus inhonestos inter conjuges, ad copulam expressà intentione non relatos, ita etiam motus concupiscentiæ, quamvis ad copulam non proximè ordinatos, excusare videntur, eò quòd utrique suà naturà ordinantur ad copulam conjugibus licitam. Ita Sylvius hic quæsit, 3. concl. 3. cum pluribus à se citatis. Quamvis etiam opposita sententia Sylvestri & Navari sit probabilis; quia non satis liquet, quòd matrimonium delectationes carnales, quæ actum matrimonium nec comitantur, nec ad illum disponunt, excuset à mortali.

ARTICULUS V.

Quanta advertentia requiratur ad peccatum morosæ delectationis?

SUMMARI A.

1. Divisa advertentia in plenam & semiplenam:
2. In habitualem, actualem, virtuales, interpretativam.
3. Habitualis advertentia non sufficit ad peccandum.
4. Sufficit autem virtualis,
5. Et interpretativa.
6. Objectiones
7. Solvuntur.

§. I.

Prænotanda ad statum questionis.

1. Notandum primò. Advertentiam rationis dividi in plenam, & semiplenam. Semiplena & imperfecta est, per quam malitia actus & objecti tantum imperfectè apprehenditur, & apprehendi potest, prout contingit in semisopitis, vel aliqua vehementi passione, aut occupatione distractis. Plena advertentia est, cum quis malitiam, vel periculum peccati perfectè videt, aut proximè videre potest. Cæterum ad discernendum quandonam sit plena, vel semiplena advertentia, ex sequentibus signis cognosci poterit. Primò, si quis malam suggestionem peccati facile posset in opus deducere, & tamen pro viribus resistit, ne Dominum DEUM graviter offendat, signum est, ipsum suggestioni plenè non consensisse. Secundò. Si quis cogitans insurgentes motus adversari legi divinæ, mox illos averfatur, atque ad DEUM confugit, pariter signum est, quòd tempore antecedenti, quo pravam tentationem sentit, defectu plenæ advertentiæ eidem non dederit plenum consensum. Tertiò. In dubio, num quis fuerit plenè sibi compos, cum habuit inordinatam delectationem, si sit timorata conscientia, & à gravioribus peccatis ex DEI timore ut plurimum abstinere soleat, potest pro se præsumere: nemo enim præsumitur malus, donec probetur. Contrarium erit dicendum, si passim pravæ delectationes amplectatur: præsumptio enim formari solet ex communiter contingentibus.

2. Notandum secundò. Rationis advertentiam rursus dividi in habitualem, actualem, virtuales, & interpretativam. Habitualis est ipsa poten-

tia & facultas, quam habemus ad cognoscendum malitiam. Actualis est expressa applicatio cognitionis ad malitiam actus. Virtualis proprie est, quæ actu præcessit, nunc autem remanet in aliquo suo effectu. Interpretativa est, cum qui proximè potuit, ac debuit advertere ad malitiam actus, per negligentiam tamen propriam voluntate causatam, actu ad illam non advertit. In qua advertentia interpretativa semper præcedit aliqua saltem suspicio & dubietas de malitiâ actus. Quæritur ergo, quanam advertentia ex prædictis requiratur, aut sufficiat ad peccatum morosæ delectationis?

§. II.

Resolutio questionis.

CONCLUSIO. Quamvis ad morosæ delectationis peccatum sola advertentia habitualis non sufficiat, (2.) tamen sufficit etiam virtualis (3.) vel interpretativa. Ita communis.

Primæ partis, quæ est contra Wendrochium & alios Jansenistas, negantes quòd ad peccatum semper requiratur aliqua advertentia peccati, ratio est primò: Ubi non est cognitio, non est voluntarium: ergo si nulla sit advertentia & cognitio malitiæ, illa non potest esse voluntaria: ubi non est voluntarium, non est peccatum: ergo.

Secundò. Nemo peccat contra legem, nisi legitime promulgatam: sed absque aliqua naturali & intimatione intellectus practici lex sive divina, sive naturalis, sive humana non est legitime promulgata, neque advertentia habitualis ejusmodi promulgatio & notitia: ergo nisi præcedat aliqua notitia & iudicium rationis practici, peccari non potest, & consequenter neque dabitur peccatum morosæ delectationis.

Tertiò. Si non requireretur aliqua notitia peccati, invincibilis ignorantia non causeret voluntarium simpliciter, neque excusaret à peccato: sed hoc est contra communem Catholicorum expositam in priori Tract. ergo. Cum igitur nihil sit volitum, quin præcognitum, ut malitiam delectationis sit voluntaria, & imputabilis, debet supponi aliquo modo præcognita.

4. Ratio secundæ partis est : quia voluntarium, quod sufficit ad actum humanum, etiam sufficit ad peccatum ; sed ad actum humanum sufficit voluntarium causatum per virtutalem advertentiam, nec requiritur semper actualis advertentia ; nam qui longiori temporis morâ continuat aliquod peccatum, etiam continuo peccat, quamvis initio tantum ad illius peccati malitiam advertit ; cum saepe in ipso flagranti crimine advertentia malitiæ per passionis vehementiam absorbeatur.

5. Ratio tertiæ quoque partis est : Voluntarium interpretativum sufficit ad peccandum ; quia in moralibus interpretativum æquivaleret formali : sed advertentia interpretativa sufficit ad voluntarium interpretativum : ergo. Min. probatur. Qui voluntariè negligit ponere media ad consequendum aliquem finem necessaria, prudenter censetur nolle ponere ipsum finem, ac proinde neglectus finis fit ipsi interpretativè voluntarius : sed is dicitur habere interpretativam advertentiam ad malitiam morosæ delectationis, qui habet voluntariam negligentiam in investiganda malitia ipsius, quæ tamen investigatio & cognitio debuisset & potuisset ipsum retrahere à consensu ; ergo etiam delectatio ex tali neglectu consecuta imputatur ipsi, & censetur interpretativè voluntaria.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

6. Dices primò. Multi peccant absque ullo remorsu conscientiæ, de quibus dicitur Job 15.

quod bibant sicut aquam iniquitatem : ergo ad peccandum non semper concurrat advertentia rationis, ista quippe pertineret ad iudicium conscientiæ. Imò quantò peccatores sunt magis habituati, & demersi in profundo peccatorum, tantò minus cogitant de malitia peccati, ut experientia docet. Unde Sorbona, teste Wendrochio, hanc propositionem Baunii falsitatis damnavit Anno 1641. *Nunquam peccatur, nisi præviâ peccati cognitione animus illustretur.* Secundò persecutores Apostolorum exilimabant se obsequium præstare DEO : ergo non habebant notitiam & advertentiam malitiæ : ac tertio multa committuntur peccata ex ignorantia, h. e. defectu debitæ advertentia : ergo in iis non adest advertentia peccati.

7. Respondeo. Quamvis multi peccent sine remorsu conscientiæ, in quantum remorsus peccati significat anxietatem & pavorem quandam ex reprehensione gloriæ relicti ; non tamen sine remorsu, in quantum iste significat dictamen internum, quo ostenditur aliquid contrarium legi divinæ, quod saltem inchoativè reperitur in quovis peccatore, quantumvis habituato. Quæ admonitio conscientiæ præcessit etiam in persecutoribus Apostolorum, & præcedit in peccantibus ex ignorantia : hi enim licet non semper proximè, saltem tamen remotè interno stimulo urgentur ad veritatem meliùs inquirendam ; in quo sensu intelligenda est censura Sorbonæ, aliàs non magnopere curanda. Ex quo patet solutio ad 2. & 3.

ARTICULUS VI.

An peccet mortaliter, qui negativè se habet ad insurgentes carnis tentationes?

SUMMARI A.

§. I.

Certiora præmittantur.

1. Exponitur status questionis.
2. Alia resistentia efficax, alia inefficax.
3. Variæ causæ ex quibus potest omitti resistentia.
4. In periculo consensûs requiritur efficax resistentia.
5. Omissio resistentiæ ex complacentia semper culpabilis.
6. Absque periculo consensûs non est obligatio ponendi impedimenta difficilia, & extraordinaria.
7. Ex causa rationabili possunt permitti motus impuri sine periculo consensûs.
8. Est peccatum mortale omittere omnem etiam simplicem displicentiam pravorum motuum.
9. Ratio 1. ex proximo periculo consensûs.
10. Ratio 2. ex voluntario interpretativo.
11. Probabilius etiam simplex displicentia non excusat à gravi peccato.
12. Ratio ex interpretativo consensû.
13. Ostenditur probabilitas sententiæ contrariæ.
14. Eius responsio ad fundamenta prioris sententiæ.
15. Quid prior sententia respondeat ad fundamenta posterioris.
16. Motus inordinati durantes contra resistentiam efficacem nec permissivè sunt voluntarii.

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

7. S Tatus questionis est, an si homo advertat carnales motus, vel sponte, vel ex objecti obscœni cogitatione aut imaginatione excitatos, teneatur positivè resistere ; an verò sufficiat ad exculationem à consensu & mortali peccato morosæ delectationis, ut non quidem positivè approbet illos motus, sed neque positivè improbet, aut efficaciter impedire conetur ? Ubi

Notandum primò. Resistentiam aliam esse efficacem, aliam inefficacem. Efficax est, per quam applicantur media ad ejusmodi tentationes reprimentas idonea. Inefficax est sola interna displicentia, & averlatio voluntatis. Cæterum media alia sunt ordinaria, ut est oratio & animi ac phantasiæ applicatio ad alia cogitanda ; alia extraordinaria & difficilia, ut flagra, cilicia, jejunia.

Notandum secundò. Voluntariam resistentiæ omissionem intelligi posse vel omnis tam efficacis, quàm inefficacis, vel solum efficacis resistentiæ. Eamque rursus ex diversis motivis oriri posse, vel propter simplicem complacentiam in illis motibus ; vel quia per experientiam prudenter aliquis timet, ne ex conatu resistendi incidat

E e a

in ma

in majores tentationes; vel tertio, quia quis confusus de animi sui constantia contemnit motus sensualitatis. Ut in hac quaestione certa ab incertis separantur.

4. Certum est primo: Quotiescunque subest proximum periculum consensus in delectationem, toties esse obligationem adhibendi positivam resistantiam applicando media, quae hic & nunc idonea & moraliter possibilia occurrunt: unde peccat mortaliter, qui stante tali periculo se habet negativè, siquidem committere se proximo periculo peccati semper est peccatum.
5. Certum est secundo: Illum peccare mortaliter, qui ex complacentia istorum motuum negligit illos reprimere: siquidem illa ipsa voluntatis complacentia est positivus consensus in ipsos.
6. Certum est tertio: Si absit periculum consensus, nullam esse obligationem ponendi media extraordinaria & difficilia, ut corporis castigationem per jejunia, cilicia, &c. neque esse obligationem omittendi actiones & studia vel ad spirituale, vel temporale commodum utilia, ut illi motus evitentur, prout in sequenti articulo amplius declarabitur.
7. Certum pariter est quarto: Cessante proximo & probabili periculo consensus, non esse peccatum, si non adhibeas efficaciam media ad repressionem illorum motuum, quando habes honestam & rationabilem causam illos permittendi, ut si ex resistantia conatu prudenter metuas graviore motus & tentationes, nam licet præceptum, *Non concupisces*, sit negativum, quo videntur omnes venereæ delectationes extra matrimonium semper & pro semper prohiberi; nihilominus tamen, in quantum præcipitur positiva resistantia istorum motuum, sic est affirmativum, quod non pro semper, sed pro tunc obligat, quando vel est periculum consensus, vel absque incommodo, & causa excusante servari potest.

Restat dubium inter Auctores, an ex sola animi & constantia confidentia possit aliquis quasi contemnendo istos motus habere se negativè ad ipsos sine peccato. Et quidem non esse peccatum saltem mortale absente periculo consensus, tenent Alvarez Arauco, Lorca, Castropal. aliique plurimi citati apud Salmanticens. hic disp. 20. dub. 5. cui sententia videtur etiam favere Doctor Ang. q. 15. de Ver. a. 4. ad 10. & in 2. dist. 24. q. 3. a. 4. nec non D. Bonaventura in 2. dist. 24. a. 2. q. 2. & Cajetan, in Sum. Damnant peccati mortalis negativam non resistantiam Martin. Montefin. Curiel. Zumel, Vasq. Valentia, Lessius l. 4. de Jure & Justit. c. 8. n. 17. Sayr. in clavi reg. l. 8. c. 7. Limitant Salmanticenses loc. cit. §. 2. n. 195. & distinguunt, fore peccatum mortale, si delectatio afferat periculum pollutionis, quam vocant gravem ex parte actus; absente hoc periculo, tamen delectatio foret gravis ex parte objecti, non audent penitus damnare peccati mortalis: quamvis in hanc sententiam inclinent n. 198. Layman l. 1. tr. 3. c. 6. distinguit absolutè; esse mortale, si ne quidem simplici displicentia resistantiam adhibeas; non autem si cum simplici displicentia solum intermitras efficacem resistantiam, animum v. g. ad alia divertendo.

Adstruitur necessitas simplicis displicentiae.

CONCLUSIO PRIMA. Peccat mortaliter, qui neque efficaciter, neque inefficaciter per simplicem displicentiam resistit inordinatis motibus concupiscentiae post plenam advertentiam eorundem. Ita Doctores communiter.

Ratio est primo. Exponere se probabili & proximo periculo consensus in impuros motus, est peccatum mortale: sed qui post plenam advertentiam istiusmodi motuum absque rationabili causa illos permittendi, ne quidem simplicem illorum displicentiam elicit, exponit se probabili periculo consensus; ergo peccat mortaliter. Minor probatur: Est difficilissimum & rarissimum, ut voluntas circa objectum præsens diu maneat suspensa ab omni actu tam prosecutionis quam aversionis, cum hoc sit contra naturalem modum & summam ipsius flexibilitatem: atque motus carnales post plenam advertentiam sunt objectum præsens voluntati, & quidem propter motum sub ratione objecti valde delectabilis; ergo vix est moraliter possibile, ut voluntas diu maneat suspensa ab omni actu. Vel ergo est proximè inclinata ad displicentiam vel complacentiam, atque, ut supponitur, displicentiam voluntatis suspendit: ergo erit proximè inclinata ad complacentiam, præsertim cum objectum sua natura valde delectabile connaturaliter trahat ad hanc complacentiam: ergo voluntas suspendens displicentiam circa motus inordinatos, eo ipso committit proximo periculo voluntatis complacentiam circa illos. Unde male supponunt Adversarii, quod homo confusus animi sui constantia non debeat habere probabile periculum consentiendi, quia in tanta, tamque naturali voluntatis proclivitate sine causa dissentium & displicentiam retinere, hoc ipsum est probabili consentiendi periculo se committere.

Ratio est secundo. Qui non habet displicentiam de objecto, quod tanquam objectum displicentiae practice repræsentatur in intellectu, habet æquivalenter, & interpretativè complacentiam ipsius: sed hæc in materia gravi est generè peccatum: ergo. Major probatur inprimis à paritate omittentis Sacrum, quod tenetur audire; nam ille hoc ipso quod per plenam advertentiam omisso Sacri ipsi repræsentetur tanquam prohibita, adeoque ut objectum fuge & aversionis, & tamen suspendat & retrahat voluntatem audiendi Sacrum, atque ita permittat curam missionem Sacri, in prudentum iudicio ita se habet, ac si positivè veller omisionem Sacri: idemque omisso Sacri dicitur ipsi interpretativè voluntaria; sic pariter cui plena advertentia repræsentat motus inhonestos tanquam graviter inordinatos, atque à voluntate practice respiciendos, si displicentiam suspendat, hoc ipso interpretativè censetur consentire in illos actus.

Confirmatur primo. Motivum retinendi displicentiam vel est eorundem inhonestas, vel delectabilitas. Non primum, quia hæc est motivum displicentiae & aversionis; ergo secundum: sed delectabilitas est ex natura sua motivum complacentiae; ergo qui post plenam ad-

vertentiam omittit elicere displicentiam illorum motuum, convincitur habere formalem, vel saltem interpretativam complacentiam, adeoque consensum eorumdem.

Confirmatur secundò. Authores, qui à gravi peccato excusant simplicem solùm displicentiam istorum motuum, tamen admittunt, saltem venialem malitiam in negligentia efficaciter resistendi: ergo, qui ne quidem conatur elicere simplicem displicentiam, gravius & mortaliter peccat.

§. III.

Astruitur probabilitas sententia requirentis efficacem resistentiam.

11. **CONCLUSIO SECUNDA.** *Probabilis est illud peccare mortaliter, qui post plenam advertentiam motuum pravorum sine rationabili causa illos permittit nullo adhibito conatu in contrarium, saltem animum ad alia divertendo. Ita illustrius Reding hic q. 13. a. 2. controv. cum plurimis sup. allegatis.*

12. Ratio est: Interpretativus consensus in delectationem veneream est peccatum mortale: sed qui post plenam advertentiam non adhibet diligentiam ad reprimendam delectationem veneream, interpretativè consentit in illam: ergo peccat mortaliter. Major probatur. Interpretativus consensus in moralibus æquivaleret formali & directo, ut per inductionem ostendi potest: ergo cum formalis consensus in veneream delectationem sit mortale peccatum, etiam interpretativus consensus in illam est peccatum mortale. Minor quoque principalis probatur primò: quia si non adesset consensus saltem interpretativus, tunc ne quidem committeretur veniale peccatum: sed hoc est contra doctrinam Adversariorum: ergo. Secundò. Ille consentit interpretativè in delectationem, qui illam voluntariè non reprimat, cum possit & teneretur reprimere: sed hoc fit in nostra hypothesi: ergo. Minor quoad posse supponitur; quoad alteram partem nimirum quòd negativè se habens etiam teneatur illos motus reprimere, probatur: Est naturalis obligatio in ratione, ut regat potentias inferiores, ac dirigat in bonum rationis, & consequenter ut inordinatos ipsarum motus corrigat, & quantum fieri potest, impediatur, quæ obligatio, si fit in materia gravi, est gravis: atqui delectatio venerea extra statum & finem matrimonii habet gravem inordinationem contra bonum rationis, cum enim ex natura sua tendat ad pollutionem, est illicita in genere peccati mortalis: ergo ratio graviter obligatur ad illam delectationem pro posse impediendam, & consequenter si sit negligens in illa passione reprimenda, ipsi illa inordinatio imputabitur, quemadmodum Superiori imputatur peccatum & excessus subditi, quem ille poterat & tenebatur impedire.

Confirmatur primò. Si illa delectatio esset venialiter tantùm peccaminosa, vel esset propter parvitatem materiæ, vel propter imperfectam advertentiam. Non illud, quia non datur in hoc genere parvitas materiæ: Non istud, quia supponimus plenam advertentiam rationis.

Confirmatur secundò. Simplex & inefficax

displicentia non impedit voluntarium simpliciter, veluti patet exemplo mercatoris merces in mare cum displicentia projicientis: ergo simplex displicentia non impedit, quin delectatio carnalis adhuc sit simpliciter voluntaria, si voluntas, cum faciliè possit, illam reprimere negligat.

§. IV.

Exponitur probabilitas sententia non requirentis efficacem resistentiam.

CONCLUSIO TERTIA. *Est nihilominus 13. practice probabile, presertim pro timoratis aut scrupulosi conscientis, quòd simplex & inefficax displicentia excuset delectationem à gravi saltem peccato. Probatur. Permissio voluntaria rei habentis aliquam, sed non gravem inordinationem, non est grave, sed veniale peccatum: atqui inordinata commotio appetitus sensitivi naturaliter & præter voluntatem exorta sine probabili periculo consensus non videtur esse grave malum: ergo etiam voluntaria permissio ejusmodi motuum non est grave peccatum, & consequenter non est gravis obligatio ejusmodi motibus efficaciter resistendi. Minor probatur: nam istæ commotiones, supposito lapsu originali, ex naturæ infirmitate facillimè oriuntur: nec alià ratione sunt graviter prohibita per præceptum, Non concupisces, nisi quatenus trahunt, aut trahere possunt voluntatem ad consensum: sed stante actuali displicentia voluntatis non trahunt, nec possunt voluntatem trahere ad consensum: siquidem est impossibile simul habere complacentiam & displicentiam ejusdem rei: ergo ut sic non sunt graviter prohibita & mala.*

Confirmatur. Juxta communem sententiam non censetur grave peccatum, aliquà vanà causà venialiter malà, v. g. curioso aspectu, colloquio, lectione dare causam illis motibus, in illa actione prævisis, sed non intentis: neque est gravis obligatio removendi illas causas, si quis advertat ex ipsa inordinatam delectationem insurgere: ergo etiam non est gravis obligatio ejusmodi motus tollendi, animum ad alia applicando. Consequentia probatur: tum quia si non est gravis obligatio amovendi omnes causas istorum motuum, etiam non erit gravis obligatio ponendi causas impeditivas ipsorum: tum quia in priori casu ideo non est gravis obligatio, quia illi motus non habentur pro gravi malo: ergo eadem ratio valebit in posteriori casu.

Ad fundamenta prioris sententiæ. Respondeo primò, negando min. quia tunc solam effectus ex omissione secutus est interpretativè voluntarius, quando actus oppositus est sub præcepto: sed non videtur esse grave præceptum ponendi causas & media impediendi ejusmodi motus præter intentionem & ex infirmitate naturæ ortos.

Respondeo secundò, neg. maj. quòd sit grave peccatum, & æquivaleret directo & formali consensui, prout ex eo colligitur, quòd ejusmodi delectatio ex causa honesta quamvis non adeò gravi permitti possit, & qui actione venialiter malà dat causam, tantùm censetur communiter venialiter peccare. Et similiter ad probationem

Respondeo; Quod illi motus dicant gravem inordinationem, prout connotant formalem consensum voluntatis, non verò prout præter intentionem & ex infirmitate naturæ oriuntur. Ad 1. quoque Confirm. Respond. Non dari parvitatem materiæ in illis delectationibus per ordinem ad voluntatem positivam, & consensum formalem; non autem per ordinem ad voluntatem solum permissivam, respectu cuius aliquando nullum, aliquando leve peccatum reputatur. Ad 2. Confirmationem Resp. Simplex complacentia non impedit voluntarium simpliciter, vel permissivum, vel positivum & formale, concedo; semper positivum & formale, nego. In nostro igitur casu, etsi simplex displicentia non impediatur voluntarium permissivum, sufficit tamen, quod impediatur formale positivum. Nec est paritas aliarum instantiarum de mercatore merces projiciente in mare, primò, quia ille tantum habet voluntatem conditionatam non projiciendi merces: at in nostro casu negativè se habens ad commotionem appetitus sensitivi habet displicentiam absolutam, & voluntatem non consentiendi; & tantum non habet voluntatem motus reprimendi. Unde secundò, cum illa conditionata voluntate non projiciendi merces stat absoluta formalis & efficax voluntas illas projiciendi: econtra cum displicentia istorum motuum nequaquam stat absoluta & efficax voluntas illos habendi. Et hoc ideo, quia projectio mercium fit ex imperio efficacis voluntatis per potentiam eidem despoti-

cè subiectam: at delectatio sensitiva oritur præter imperium voluntatis ex rebellione fomicis & sensualitatis non nisi civiliter subiectæ rationi.

Hæc sententia partim ex autoritate doctrinæ, partim ex præmissis fundamentis est satis probabilis saltem pro timoratis conscientis, quæ sæpe dubitant, an eiusmodi motibus debite resisterint. Nihilominus etiam prior & probabilior sententia ad istius fundamentum negat minime, quæ probationem distinguit: postquam simplici displicentia non trahunt ad consensum formalem, concedo; interpretativum, nego minime, & consequentiam.

Ad confirmationem Respondet, negando consequentiam: quia ut delectationes sint voluntariæ in causa, & ut sic imputabiles in peccatum, vel debent per ipsas causas directè intendi, vel debet esse obligatio ipsas causas, in quibus prævidentur, evitandi, & sic pro qualitate obligationis erit gravitas peccati. Sed ut fiant voluntariæ interpretativè in seipsis, sufficit, quod ad istillam plena advertentia, & tamen voluntas cum potest, non velit illas reprimere.

Colliges ex dictis: si motus inordinatos quosdam animi ad alia præsertim divina & æterna diversione [quod optimum remedium est & tranquillum] reprimere conatus fuit, & illi nihilominus ratione contradicente perdurent, non jam voluntati, sed fomicis rebellionem esse adscribendam, & ne quidem esse permissivè voluntarios: neque habendam eorum ampliùs rationem.

ARTICULUS VII.

Quasnam causas venereæ delectationis homo vitare teneatur?

SUMMARIUM.

1. *Varie cause impurorum motuum.*
2. *Directè intendere, & procurare pollutionem nullo casu licitum.*
3. *Respondetur ad instantiam de procuratione abortivis.*
4. *In periculo consensus vitandæ etiam cause honestæ, ad quas sequitur pollutio.*
5. *Turpes motus ex causa mortaliter culpabili in genere luxuria contrahunt gravem malitiam.*
6. 7. 8. *Corollaria ex dictis.*
9. *Nulla est obligatio tollendi causas ex se honestas delectationis venereæ.*
10. *Delectatio ex causa culpabili extra genus luxuria non contrahit gravem malitiam.*
11. *Contrahit tamen venialem.*
12. *Solvitur objecta paritas de homicidio.*
13. *Solvitur paritas de præceptis juris positivi.*
14. *Quale sit debitum vitandæ causas indirectas delectationis venereæ?*
15. *Ex obligatione resistendi delectationi venereæ, non rectè inferitur obligatio removendi omnes causas ipsius.*

§. I.

Prænotanda.

1. **N**otandum primò. Causas, in quibus prævideri possunt motus obscœni, vel pollutio secutura, esse diversas. Nam aliquæ sunt necessariæ, honestæ, utiles, ut est audire confessiones,

mederi corporibus, legere ejusmodi materias pro paranda eruditione juvando proximo &c. Aliæ quæ sunt indifferentes, ut equitare, comedere calida, &c. aliquæ peccaminosæ, eæque vel mortaliter, vel tantum venialiter tales, & vel extra vel intra genus luxuriæ. Aliquæ sunt causa proxima, per se influentes, ut impuri tactus, oscula; aliæ verò remotæ & per accidens concurrunt, ut erapula.

Notandum secundò, tanquam indubitatum Nullo casu etiam ad vitam servandam esse licitum, directè per quamcunque causam querere intendere, vel procurare pollutionem; eamque sic intentam & quasitam semper esse peccatum mortale contra naturam, siquidem habet intrinsecam repugnantiam cum fine & bono naturæ quæ in emissionem seminis unice bonum proles per viam legitimæ generationis intendit. Idem dicendum de venereis motibus extra statum matrimonii, siquidem isti quoque semper sunt inchoata mollities, vel fornicatio. Intra statum matrimonii verò toties sunt peccata mortalia, quoties voluntariè habentur cum probabili periculo pollutionis.

Dices: Licet matri pro conservatione vitæ tantum non dum animatum directè depellere, quando ex illius retentione de vita periclitatur: ita enim sentit Th. Sanch. l. 9. de matr. disp. 20. n. 1. cum pluribus à se citatis, quem etiam sequuntur Salmasius.

Salmant. hic disp. 10. dub. 6. n. 221. dicentes, esse sententiam communissimam & probabilissimam, eamque non comprehendi in damnatione propositionis 34. ab Innocentio XI. ostendit Cardenus in Crisi Theol. dissert. 22. ergo etiam pro conservacione vitæ aut sanitatis licita erit in aliquo casu directa expulsio seminis. Ratio paritatis videtur esse clara: quia fœtus, quamvis nondum animatus, propior est humanæ proli, quam semen: unde si fœtus, seu injustus invasor vitæ medicamentis depelli potest, cur non & istud?

Respond. primò negando antec. tum quia paritas inter fœtum & semen humanum à Lessio adducta efficaciter probat, neutrum licere: tum quia propter diversas medicorum opiniones, quoniam tempore fœtus accipiat animam rationalem, vel animetur, ferè semper erit dubium, utrùm fœtus sit animatus, adeoque practicè vix erit probabile, quòd liceat directè fœtum expellere, & abortum procurare. Nihilominus etiam permissa hujus sententiæ probabilitate

Respondetur secundò, & assignatur disparitas ex Salmant. I. cit. quòd administratio, & actio emissiva seminis à natura unice ordinatur ad copulam conjugalem, & intenditur propter bonum speciei: unde extra istum finem semper est illicita: at fœtus ex semine formatus est speciale individuum, quòd si ante animationem vitam matris oppugnet, ita ut nulla sit spes, quòd mortuam matrem ad lucem & vitam perveniat, meritò vitæ matris postponi, & tanquam injustus aggressor depelli potest. Ubi nullus intervenit abusus alicujus actionis à natura ordinatæ ad alium finem, sicuti fit in pollutione.

4. Notandum tertio. Esse obligationem sub peccato mortali vitandi quascunque causas etiam honestas illorum motuum, si subit probabile & proximum periculum consensus, nisi necessitas excuset: eodem quippe præcepto, quo peccatum prohibetur, prohibetur quoque proximum periculum ipsius. Unde si cui per experientiam constaret, quòd in audiendo confessiones soleat consentire in pravas delectationes, teneretur ab audicione confessionum abstinere. Dixi, nisi gravis necessitas excuset, ut contingit in parochis, qui ex officio obligatur audire confessiones, nec potest illud officium sine gravi suo incommodo deponere. In Chirurgo, qui ex officio aspicit & tangit nuda corpora, nec haberet relicto officio, unde viveret. Isti igitur si suum officium peragant animo ad non consentiendum obfirmato, & invocato divino auxilio, non peccant, neque enim censentur in morale periculum peccati se conjicere, qui non temerè, sed necessitate compulsi & ex bono fine ejusmodi occasionibus se committunt. His præsuppositis, sic

II.

Causa inducens gravem malitiam.

5. CONCLUSIO PRIMA. Quoties absque urgenti necessitate exercetur actio ex natura sua turpis, & mortaliter culpabilis in genere luxuria, in qua prævidetur turpis motus, aut pollutio: toties committitur peccatum mortale molliori indirectè voluntarium.

Ratio est: quia lex naturalis obligans de non procuranda seminis effusione, etiam naturaliter obligat ad non ponendas causas per se & notabiliter influentes absque urgente necessitate: sed actio in genere luxuriæ graviter turpis, est talis causa: ergo. Unde

Inferes primò. Tactus, amplexus, oscula, item 6. aspectus libidinosos, h. e. causam captandæ delectationis venereæ factos, etsi non admodum obscenos, inter solutos esse peccata mortalia, quia sunt causa per se notabiliter excitativa libidinosorum motuum.

Inferes secundò. Non minùs ipsos motus, 7. aut pollutionem sive in vigilia sive in somno consequentem ad ejusmodi causas prius positas esse peccatum mortale, quia sunt effectus voluntarii in causa.

Inferes tertio. Si tactus, & aspectus non sint 8. obsceni, nec animo libidinoso, sed joco, vel levitate facti, nec sæpius repetiti, aut diutius continuati [nisi sit periculum probabile ne fiant libidinosi] per se loquendo tantum esse peccata venialia, & sic etiam impuros motus inde consequentes, non majorem, quam venialem malitiam contrahere. Si verò fiant civilitatis causa, & ex patriæ consuetudine, aut alia ex rationabili causa, nullam habere malitiam, quia ex causa derivatur malitia in effectum, qui est voluntarius in causa; si ergo causa tantum est venialiter mala, neque effectus majorem sortietur malitiam, & si omni caret malitia, etiam carebit effectus.

§. III.

Causa nullam inducens malitiam.

CONCLUSIO SECUNDA. Nullum est peccatum ponere causam, vel ab illa non desistere, ex qua prævidetur præter intentionem & sine consensu impurius secutura, si illa causa sit necessaria, vel conveniens corpori, aut animo. Ita Sylvius, Lamb. Layman, Rosmer, aliq. Ratio est primò, quia tales motus nec sunt directè, nec indirectè voluntarii. Non directè, quia supponitur esse præter intentionem; non indirectè, quia tunc aliquis effectus censetur indirectè voluntarius in ordine ad imputationem moralem, cum quis omittere impedire vel facere, quod impedire vel facere tenebatur: sed nemo tenetur abstinere ab actibus, à quibus prævidetur secuturos motus impuros, quando habet rationabilem causam illos actus ponendi, iique habent suos proprios honestos fines: ergo illos ponendo non peccat: & consequenter neque ipsa impuritas carnalis consecuta imputatur in peccatum; siquidem, ut dictum, ex causa malitia derivatur in effectum; unde, si causa non est culpabilis, neque effectus erit. Ratio est secundò. Jus suum prosequenti non imputatur effectus præter intentionem & per accidens subsecutus: sed, cum quis exercet prædictas actiones, prosequitur jus suum, & effectus sequitur præter intentionem: ergo. Ratio est tertio. Si esset necessitas vitandi ejusmodi causas, homines in mutua societate plurimis commoditatibus tam spiritualibus, quam corporalibus privarentur; siquidem multi ab audiendis confessionibus, medendo corporibus, legendis libris, &c. abstinere deberent. Unde Col-

Colliges. Nullam esse obligationem abstinendi à cauta & honesta colloctione cum mulieribus, ab equitatione, aliave simili causa, nec esse obligationem deferendi locum orationis, studii, somni, alteriusve honestæ & permissæ occupationis, neque teneri mutare corporis situm, quantumvis quis absque data sua causa venereos stimulos sentiat; siquidem prosequitur jus suum, nec adesse supponitur aliqua causa proximè, & notabiliter influens in istum effectum, qui potius ex naturali, impulsu & infirmitate provenire censetur.

§. IV.

Causa sufficientes ad malitiam venialem.

10. **CONCLUSIO TERTIA.** *Delectatio venerea præter intentionem secuta ex causa, quæ extra genus luxuriæ est culpabilis, non imputatur in grave peccatum. Ita Ant. citati.*

Ratio est: quia lex ordinariè non obligat ad vitandas causas quasunque remotas & indirectas objecti prohibiti; præsertim si effectus potius ex infirmitate naturæ, quàm à tali causa proveniat: sed causæ extra genus luxuriæ constitutæ censentur tantùm remotæ & indirectæ, & venerei motus potius ex naturæ infirmitate, quàm ex iis causis proveniunt: ergo propter ejusmodi causas carnalis impuritas in grave peccatum non imputatur: sive illæ causæ sint in suo genere venialia, ut cibus, potusque liberior; sive mortalia, ut ebrietas.

11. Nihilominus imputabitur in veniale peccatum; est enim notabilis inordinatio, naturæ proclivitati fomentum addere ad ejusmodi motus in talibus causis sequi solitos: cumque hæc passio ex sua natura sit incitativa ad malum, habeatque magnam inordinationem, studiosus puritatis conabitur, evitare causas etiam remotas & per accidens istorum motuum, si commodè vitari possint.

§. V.

Solvuntur Objectiones.

12. **Objicies primò.** Quilibet tenetur vitare causam & actionem, ex qua prævidet securam pollutionem. Consequentia probatur: Non minùs pollutio est intrinsecè mala propter damnum prolis, quod per illam sequitur, quàm homicidium propter damnum & destructionem hominis: ergo par est ratio in utroque.

Respondet primò. Hoc argumento nimium probari; siquidem sequeretur, quòd sicut obligaris omittere actionem honestam, v.g. auditionem confessionis, si exinde metuas probabiliter eventurum homicidium, sic easdem actiones honestas tenearis omittere, si ex iis prævideas securam pollutionem.

Respondet secundò. Disparitatem esse, quòd damnum ex homicidio proveniens sit certum, proximum, & irreparabile, ideoque extra casum justæ defensionis in extrema necessitate nulli hominum concessum; contra effusio seminis non

proveniens ex applicatione appetitù, sed potius à virtute expulsiiva sine voluntaria electione causæ proximæ per se influentis, non sit certum & proximum damnum prolis, ex quo suam intrinsecam malitiam deberet accipere. Unde licet nunquam intendi & queri, tamen ex rationabili causa permitti potest, ejusque occasiones & causas quasunque tollendi nulla est gravis obligatio.

Objicies secundò. In præceptis, quæ tantùm sunt juris positivi, ut jejunandi, audiendi Sacram, recitandi horas Canonicas, &c. non nisi causa necessaria à transgressione excusat: ergo à fortiori in præcepto naturali vitandi motus inordinatos concupiscentiæ non nisi causa necessaria excusetur.

Respond. primò ut priùs, hoc argumento probari, quòd esset mortale peccatum, equitare, frudere, cum prævisione istorum motuum.

Respondet secundò. Cùm isti motus ex infirmitate naturæ, voluntate & ratione nihil cooperante, facillimè insurgant, in ipsis majus voluntarium requiri, ut imputentur in peccatum, quàm requiritur ad alias transgressiones juris positivi, quæ non sunt nisi dependentes à voluntate.

Objicies tertio. Ad voluntarium interpretativum in causa sufficit, quòd malus effectus prævideatur in causa, quam quis potest & tenetur vitare: sed ebrietas aliavæ causas peccaminosas remotas venereæ impuritatis quilibet potest & tenetur vitare: ergo in ipsis & per ipsas venerea impuritas fit interpretativè voluntaria.

Respond. dist. maj. Sufficit, quòd malus effectus prævideatur in causa, quam quis potest & tenetur vitare debito proveniente ex præcepto prohibente talem effectum, concedo; aliunde nego. Sed ebrietatem v.g. quilibet tenetur vitare debito proveniente ex præcepto sobrietatis, concedo; ex præcepto castitatis, nego min. & consequentiam. Neque enim videtur præceptum castitatis graviter prohibere causas penitentia indirectas, & remotas impurarum commotionum, quæ proinde non statim sunt interpretativè voluntariæ, saltem voluntario positivo & imputabili in gravem culpam.

Objicies quartò. In probabili opinione, quam artic. præced. retulimus, tenetur homo impedire exurgentes tentationes carnis, quòd si negligenter sunt interpretativè voluntariæ: ergo etiam tenetur abstinere à causis saltem non necessariis, in quibus prævidet ejusmodi tentationes.

Respondet. Antecedens in illa probabili sententia procedere ex hypothesi, quòd illæ tentationes possint formaliter vel interpretativè fieri voluntariæ in seipsis, veluti cum ex impura phantasia naturaliter ortum trahunt, non autem cum per accidens consequuntur ad aliam causam per se proximè non influentem; tunc enim, etiam si causa non auferatur, non sunt propriè interpretativè voluntariæ.

ARTICULUS VIII.

An delectationes morosæ sint ejusdem speciei cum opere externo?

SUMMARI.

1. *Aperitur status questionis.*
2. *Delectatio morosa est ejusdem speciei cum opere externo.*
3. *Cur possit præscindi in delectatione de circumstantia furti, non autem in delectatione actus carnalis aut circumstantia persone.*
4. *In confessione exprimenda circumstantia persona, quæ fuit morosa delectationis objectum.*

§. I.

Eligitur sententia affirmans.

Questio maxime procedit de delectatione morosa in materia venerea: cum enim in peccatis carnalibus plures species inter se distinctæ reperiantur, quæ non tantum habent oppositionem cum virtute castitatis, sed etiam justitiæ, pietatis, &c. ut stuprum, incestus, adulterium, &c. quæritur, an morosa delectatio de tali opere cogitato eandem sortiatur speciem, ac ipsum opus cogitatum, & sicut ipsa peccata carnalia, sic morosæ delectationes ipsorum inter se specie distinguantur? Ubi

Certum est primò, Si delectatio sit efficax & conjuncta cum consensu in opus, ut frequentius contingit diu in carnalis peccati delectatione hærentibus, tunc esse ejusdem malitiæ & speciei cum opere externo, quia opus externum ut est à parte rei, sic est objectum specificativum efficacis voluntatis: adeoque, si ipsum habeat diversam malitiam, eandem refundet in efficacem voluntatem peccandi. Sic specie distincta peccata sunt consentire in commercium carnale cum consanguinea, conjugata, sacra, &c.

Certum est secundò, Si quis voto castitatis adstrictus habeat morosam delectationem de quocunque peccato carnali, semper committere peccatum sacrilegii, siquidem votum castitatis omnium prohibet omnem actum repugnantem virtuti & honestati castitatis.

Certum est tertio, Delectationes morosas de peccato sodomitico, bestiali, contra naturam, esse inter se specie distinctas; siquidem immediata objecta harum delectationum specie distinguuntur, & in delectationem refundunt diversas oppositiones cum diversis motivis ipsius castitatis.

Certum est quarto, Si morosa delectatio formaliter feratur in ipsam conditionem & circumstantiam personæ speciem mutantem, ut quia v. g. femina est conjugata, consanguinea, &c. hoc ipso sortiatur etiam speciem illius circumstantiæ & operis, utpote pertinentis ad objectum specificativum.

Igitur questio est: an in casu quo delectatio morosa est v. g. de peccato carnali cum femina conjugata, non quæ conjugata, sed quæ pulchra & delectabili, sine complacentia de extrinseca conditione & qualitate personæ, quæ ipsum opus trahit ad novam oppositionem cum virtute justitiæ extra genus castitatis, constituatur in specie adulterii, ac proinde specie distinguatur à morosa

delectatione de peccato carnali cum femina soluta?

CONCLUSIO. *Probabilis est, delectationem morosam esse ejusdem speciei cum opere externo. Ita Sylvius hic a. 8. q. 7. concl. 3. Antonin. Cajetan. Navarrus, Azor, aliique.*

Probatur primò auctoritate S. D. a. 8. ad 4. dicentis: *Delectatio, quæ habet actum exteriorem pro objecto, non potest esse absque complacentia actus exterioris secundum se, etiamsi non statuatür implendum &c.* ergo actus exterior secundum se specificat delectationem: sed actus exterior secundum se non præscindit à circumstantiis, sed secundum illarum specificam differentiam etiam ipse specificam induit diversitatem: ergo similiter delectatio specificam accipit differentiam.

Probatur secundò ratione ejusdem S. D. in q. 15. de Ver. a. 5. *Non sola voluntas operis, sed etiam delectatio de opere sequitur naturam ipsius operis, quod est finis intrinsecus ipsius: siquidem delectationes sunt propter operationes: ergo si in opere reperiuntur distinctæ malitiæ, etiam in delectatione reperiuntur, & si opus à circumstantiis non præscindit, neque delectatio præscindit.*

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Objicies: *Morosæ delectationes sortiuntur speciem ab objecto, prout est in apprehensione: sed objectum apprehensum delectationis morosæ potest esse persona delectabilis sub ratione feminae, præcisè aliis omnibus circumstantiis conjugii, voti, consanguinitatis, &c. ergo potest etiam morosa delectatio ab hac sola ratione objecti suam malitiam, virtuti castitatis solummodo repugnantem, accipere.*

Confirmatur. *Potest quis delectari in furto, quæ ingeniosum, non quæ injustum est, de jocis quatenus faceti, non quatenus sunt impuri: ergo similiter poterit delectari de commercio cum femina, quatenus femina, non quatenus conjugata.*

Respond. *negando min.* Si illæ conditiones & circumstantiæ aliunde sint cognitæ, nec invincibiliter ignoratæ: nam licet tunc persona explicitè tantum apprehendatur sub ratione feminae, nihilominus tamen quia delectans morosè personæ circumstantias invincibiliter non ignorat, & tamen magis vult delectari de nefario opere cum persona iis circumstantiis affecta, quam non obstante illarum notitia à tali delectatione desistere, eadem quoque circumstantiæ implicitè ac interpretativè censentur voluntariæ, atque in objecto contenta.

Ad confirmat. *disparitas est, quòd tunc delectatio non sit de opere, sed de modo operis, cui planè per accidens est, utrum in hoc, vel illo opere reperiatur: adeoque ab illo facile præscindi potest, opus verò ipsum, quod specificat delectationem non præscindit à circumstantiis personæ.*

4. Inferes ex dictis : In confessione exprimendas esse qualitates personarum, circa quas aliquis fuit morose delectatus, fuerintne soluta, vel ligata, &c. quod non tantum ex nostra sententia manifeste sequitur, sed etiam suadet ab opposita sententia auctoribus; licet enim probabile sit, circumstantias operis cogitati non inducere diver-

tatem specificam in simplicem complacentiam ipsius nihilominus tamen facile contingit a consensu in delectationem voluntatem procedere in consensum ipsius operis, quo casu jam est distinctio specifica, & per expressionem qualitatum Confessario major meliorque notitia peccatorum istiusque peccantis acquiritur.

DISPUTATIO XXII.

DE

Causis peccatorum.

Cum duo sint in peccato, materiale & formale, actus & inordinatio, peccatum habet & causam per se, quatenus actus est, & causam per accidens, quatenus est inordinatum. Et cur per accidens? quia inordinatio privatio est. Ita expressit S. D. hic q. 75. a. 1. in c. *Ex parte autem inordinationis, inquit, habet causam eo modo, quo negatio, vel privatio potest habere causam. Sed cum inordinatio peccati, & quolibet malum non sit simplex negatio, sed privatio ejus, quod aliquid natum est, & debet haberi, necesse est, quod talis inordinatio habeat causam agentem per accidens.* Hac porro causa per accidens præcipua est creaturæ rationalis liberum arbitrium deficiens, sive ut S. D. loc. cit. creata *voluntas carens directione regulae rationis, & legis Divinae, intendens aliquid bonum commutabile.* Plures tamen alia causa vel interna vel externa possunt ad peccatum proximè, vel remotè concurrere. Externa è mente Catholicorum, & S. D. hic q. 80. a. 1. & 2. Dæmon est; non directa, sed indirecta per internam intligationem & tentationem, quæ tamen peccandi nullam inducit necessitatem; unde I. Petri ult. *Item homo homini potest esse causa peccandi, ut S. D. q. 81. vel per suggestionem, modo diabolico; vel per originem, de quo infra.* Et blasphemo hæreticorum ore etiam DEUS peccati Author & causa est, quam tamen blasphemiam art. 3. removebimus. Interna causa peccati, quæ in ipso homine reperitur, & vel ex parte intellectus, estque ignorantia, de qua art. 1. sequenti; vel ex parte voluntatis, & sic non tantum voluntas per modum principii deficientis est causa peccati, sed etiam unum peccatum potest esse causa alterius, S. D. q. 75. a. 4. ut mala intentio malæ electionis, rapina vel furtum homicidii, &c. Vel ex parte appetitus sensitivi, & sic docet D. Th. hic q. 77. à passione voluntatem indirectè moveri ad peccandum. Unde Dan. 13. dicitur: *Concupiscentia subvertit cor tuum, & hæc quidem caret difficultate.* Dna sunt questiones celebriores. *Primò.* An omne peccatum præcedat ignorantia? *Secundò.* An, vel quomodo DEUS concurrat ad actum peccati? Ideo sit

ARTICULUS I.

An ignorantia causet, vel sit peccatum?

SUMMARI A.

1. Diviso ignorantia.
2. Ignorantia est vera causa peccati.
3. Ignorantia concomitans non causat peccatum.
4. Ignorantia antecedens tantum causat peccatum materialiter.
5. Ignorantia consequens etiam causat peccatum formaliter.
6. Est & ipsa formaliter peccaminosa.
7. Et quandoque speciale peccatum.

§. I.

Ignorantia vincibilis causa peccati formalis.

1. Suppono primò. Ignorantiam propriè & privativè acceptam pro carentia vel absentia sci-

entia, quam quis natus & aptus est habere, dicitur primò, ex parte subjecti in invincibilem & vincibilem; secundò ex parte actus in antecedentem consequentem, & concomitantem, de quibus divisionibus in superiori tract. de act. hum. dictum fuit. Tertiò ex parte formæ opposita in ignorantiam habitualem, & actuaalem. Habituaalis est carentia scientiæ habitualis, actualis ex opposito est absentia scientiæ actualis. Actualis ratio sum dividitur in absentiam scientiæ, h. e. cognitionis speculativæ, vel ut est ignorantia articulo rum fidei; vel practicæ de agendis, aut omittendis.

Suppono secundò, è S. D. q. 76. a. 1. Ignorantiam verè esse causam peccati. Ita enim dicitur